2 Sermonem habuit coram Alphonso in cœna Domini Antonius quidam Siculus, ordinem divi Domini professus, sive facto gloriabundus sese Regi obtulit, & quasi parùm ex pulpito gannivisset, novas de Sacramento altaris quæstiunculas introduxit. Cui Rex, obsecro, inquit, Rabbi, vas aureum aperuit quispiam, in quo ante mensam Eucharistici condiderat, nihil ibi præter vermiculum reperit. Ex auro, quod mundissimum purissimumque fuit, & undique clausum, non potuit vermis nasci, neque ex accidentibus, quæ illic absque subjecto aderant: Ergo ex Christi corpore productus vermis. At ex substantia Dei quid aliud,

aliud, quàm Deus, prodeat? Verimis igitur Deus. Quid tu adhæc? Obtulit monachus. Nos qui eramus in corona, Theologicas ab Rege scholas haud frustra visitatas fuisse, cognovimus. *Æn. Sylv. lib. 1. c. 39.*

3 In scholam Pragensem ingressus aliquando Carolus IV, Romanorum imperator, cum disputantes liberalium artium magistros in horas quatuor dividisset; idque purpurati molestè ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi, inquit, tempus est minimè. Nam cœna mea hæc est. *Æn. Sylv. l. 4. c. 15.*

4 Memini, cum aliquando Messanæ Virgilium legeremus, pueros vel humillimæ conditionis, qui modò discendi animo accederent, usque in interiorum locum, ubi post cœnam legebatur edicto Regis Alphonsi, omnes admissos fuisse, exclusis eo loco, ea hora, amplissimis atque ornatissimis viris, omnibus denique, qui legendi causâ non adessent, exclusis. Finitâ verò lectione potio, Hispaniæ regum more, Regi offerebatur. Ministrabat Rex suâ manu præceptor ipsi seu poma, seu confectioes zaccarias. Condiscipulis verò, purpuratorum maximè post portionem,

tionem, quæstio proponebatur, ut plurimum philosophiæ. Aderant quidam doctissimi atque clarissimi viri, extendebatur vox suavissimis atque honestissimis colloctionibus usque ad horam septimam. Exinde suam quisque domum repetebat, lætus & Regis gratiâ & benignitatis plenus. Pan. l. 4. c. 18.

5 Legerat illud Alphonsus, ut arbitror, quod non ignotus poëta cecinit:

* Dii majorum umbris tenuem &
sine pondere terram,

Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,

Qui præceptorem sancti voluere pati
Esse loco. (rentis

Atque idcirco suo magistro vel poema, vel confectiones zaccareas, ministravit. Æn. Sylv. lib. 4. c. 18.

6 Cum Andreæ Panormitano, viro & genere & juris peritiâ claro, se neque cognitum neque visum unquam Rex accepisset; continuò illum velut fortunatum hominem & videre & nòsse vehementer voluit. Pan. l. 2. c. 42.

7 Cum adhuc graviter ex febre Rex jaceret, & Aurispa senior doctus vir ad eum visitandi gratiâ accederet; subitò
fores

* *Juven. l. 3. Satyr. 7.*

fores aperiri jussit, & in cubiculum penitus admitti, inibi illum multa cum eo de studiis literarum, multa de erroribus Hieronymi hæretici, mirum in modum differuisse, tradunt, quamvis morbo vehementer implicatum. Pan. lib. 1. c. 10.

Hieronymum hæreticum, de quo senior Aurispa cum Rege disputat, intelligo Bohemum fuisse, qui Constantie crematus est, cum impiè de religione sentiret. Adde igitur, si placet, Hieronymi patriam; ut, quod nos scimus, posteros haud lateat. Æn. l. 1. c. 10.

4. *Inprimis commendandum pecuniis sustentare adolescentes, quorum angustiores sunt res, & in quibus ingenii vis & indoles aliqua prælucet ad virtutem. Spiegel. in schol. ad Panorm. l. 2. c. 52.*

1 Pueros, quos ad studia literarum aptos ac prope natos intueretur Alphonsus, verum paupertate ac inopiâ ad gloriam aspirare non posse, ut quisque vel ad hanc, vel ad illam disciplinam idoneus videbatur, partim Rhetoribus, partim Philosophis erudiendos commendabat, fovebatq;, sumtum illis affatim ministrans. Pan. l. 2. c. 52. Mf. 57.

2 Duos

2 Duos pueros miserat Alphonsus Parisios, qui literas discerent. Erasmus in arce nova apud eum, cum Iohannes Solerius illorum epistolas Regi redderet. Vidimus eum miro modo gestientem, postquam, scriptis puerorum lectis, eos proficere cognovit. *Æn. Sylv. l. 2. c. 52. Ms. 57.*

VI. ELOQUENTIA.

1. *Bonus Princeps, & qui bonis aliquibus praeest, etiam praeceptis eloquentia rectè instructus esse debet. Manuel Imper. Orat. 1. qua hortatur ad eloq. studium.*

Principum autem conciones esse debent magnifica, pura, electa, parca verbis, ampla sententiis, sensu simplici, prudenti, gravi, sedato. Causinus lib. 2. de Eloq. sacra & humana, c. 4.

1 Ferdinandum Filium, in expeditionem Florentinam accinctum, in hunc pene modum Rex allocutus fertur. Ego, Ferdinande fili, cum Florentinorum injurias ferre ulterius nequeam, statui te, quem vitâ chariorem habeo, contra eos cum imperio atque exercitu mittere, ut Deo benè juvante,
 & tuâ

& tua & tuorum militum virtute, injuriam omnem propulsemus, palamque faciamus, tandem illos cum hostibus nostris perperam & iniquè foedus fecisse, neque ob hoc tamen suæ reipublicæ utiliter & honestè satis consuluisse. Igitur abeunti tibi rem, quam velut preciosissimam mihi seposueram & tibi gloriosissimam futuram, si eâ uti sciveris, trado commilitones meos, veteranos ferme omnes, multis maximisque experimentis perspectos: quorum operâ & virtute victorias omnes & triumphos ad id tempus assecutus sum; quibus tandem sociis & adjutoribus expeditionem Neapolitanam confecimus, atque adeò magnam Italiæ partem ditioni nostræ, ut vides, adjecimus. Hos igitur in-primis tibi ita commissos facio, ut ne magis quicquam possim ex animo tibi committere, non vitam quidem ipsam. Quos cum intellexero à te diligi, & observari; nihil ambigam, & tibi quoque gloriam meam cordi esse. Sed cave, ne eos temerè periculis objicias. Non sunt, quorum opera aut animus tibi in re gerenda requirendus sit; repellendi tibi potius erunt, quàm impellendi. Idcirco ad

B

co ad

co ad eos casus tales tibi viros conserva, si quando dignitatem & nomen tuum in discrimen necessitas vocabit. Et jam spero fore, ut ipsorum meritis, & hortatu meo carissimos habeas, atque ita tractes, ut non imperatorem, sed personam sibi mutasse videantur. Nunc quod maximè te moneo, fili carissime, illud est, ne tantum aut tuæ aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes absque numinis auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis aut industriâ comparatur, sed Dei optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia itaque rei militaris ita demum profutura est, si Deum nobis pietate atque innocentia pacatum, propitiumque habuerimus. Deum igitur inprimis cole, in eum confide, à quo tum victorias omnes, tum optima quæque provenire dubio procul est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, cave, contendas; imò quicquid ab eo tibi accidisse videatur, boni consule, & patientia ac poenitentia eum placa, & tibi benevolum redde. Sanè, quos Deus amat, corripit & affligit. Sed si afflictos interim dolentes ac se metuentes videt, eos postea recreat,

recreat, reficit, fundat. Præterea decus & existimationem tui tibi plurimum commendatam optarim, ut qua nihil in hac vita tibi charius aut præclarius esse aut videri debeat: pluris enim dignitas & fama, quam victoria æstima-
 manda est. victoria enim nonnunquam famâ magis, quam viribus acquiritur. Rursus victoria alterna res est. At fama, quæ ex virtute ac probitate profiscitur, sicuti ipsa virtus, constans atque perpetua est, quæque gloriam nobis veram ac solidam accommodare soleat. Honestatem itaque amplectere, sine qua neque summo illi victoriarum datori grati esse possumus, neque inter homines vivi auctoritatem, neque mortui nomen diuturnum adipisci. Dein te, fili, etiam atque etiam hortor ac moneo, ut Venetorum rempublicam haud secus, quam meum statum, percarum habeas, proque ea & servanda & augenda neque tibi ipsi, neque fortunis meis neque exercitui parcas, velim. Eo quidem animo cum his societatem & fedus semel inii, ut, quoad vivam, eos ne momento quidem destituam, quippe quos inter amicos caros, carissimos atque amantissimos habeam.

Ad hæc verò peragenda, ne te commoveat, hortor, aut pecuniarum, aut alterius cujusvis rei indigentia. Nam tibi non pecunia modò, sed milites, equi, arma, tormenta affatim subministrabuntur; quin vel unum assem tecum dimidium, semper habiturus sum. Et generatim, tunc tibi, cum mihi ipse defuturus sum: ut intelligas, nihil tibi ad hanc expeditionem, si modò tibi ipsi non defueris, per alios defuisse. Postremo te monitum volo, si qui ex hostibus tuæ fidei se permiserint, uti illos benignè suscipias. Si qui etiam obstinatis animis usque ad extremam expugnationem perstiterint, eos cum ceperis, tuæ potiùs mansuetudinis, quàm illorum pertinaciæ memineris; nec minus progeniem nostram ab omni crudelitate & sævitiâ longè semper alienam exstitisse. Vale. Pan. l. 3. c. 31.

*Alphonsi oratio in expeditionem
contra Turcos.*

2 Scio, pleròsque vestrùm demirari, P. C. quod cum toties de expeditione in Turcos verba fecerimus, eamque miro consensu omnes capeffendam censuerimus; cur illa hætenus à me dilata

lata ac penè derelicta videatur? Quod equidem nolim, arbitremini aut negligerentiâ mea aut pusillanimitate accidisse. Nam & bellum hoc nobis miserum semper visum est, & utrumque tandem omnino suscipiendum. Verum dum alios Europæ principes respicio, ad quos hujuscemodi belli cura, vel autoritate, vel potentiâ, aut rerum peritiâ magis pertinere videbatur, in hunc usque diem rem distulimus, certè ne insolentiae aut arrogantiae argui possemus. In præsentia verò, cum illorum neminem ad hanc rem animum intendere animadvertam, ac propterea hostium animos in dies magis crescere atque insolescere; statuo, si id quoque vobis visum fuerit, bellum, in Christi Domini nomine, in Christianorum hostes ulterius non differre: non quod ad tantam belli molem per me ipse satis omnimodo esse confidam; sed quod in Christo, cujus res maximè agitur, quàm plurimum sperem; Hic enim & vires nobis, & opes, & industriam, & denique victoriam suggeret. Nam si nunquam in seipsum sperantes dereliquit; cur nos, qui non in nostra potentia, quæ nulla est, sed in ejus brachio & benignitate

confidimus, destituet? præsertim ejus ipsius injurias ulciscentes, bellum quidem contra eum suscepturi sumus, P. C. qui Christi summi & servatoris Dei templum foedaverit, Mariæ matris effigiem sagittâ per ludibrium transfixerit, sanctorum martyrum reliquias partim igni, partim canibus edendas objecerit. Quo quidem in bello si vicerimus, orbis terrarum præmium erit: si victi fuerimus, cælum. Utcumque igitur res cedat, magna nobis aut immortalis gloria paratur. Verùm ego beneficia omnipotentis Dei mecum nonnunquam reputans, tria illa vel præcipuè commendare ac præferre soleo. Primum quod me non beluam, sed hominem, hoc est, animal ratione præditum fecerit. Alterum quod Christianum. Tertium, quod tot & tantorum regnorum regem ac dominum. Silco præter hæc plura. Sed his tribus tamen Deo optimo & benignissimo me obligatum & obnoxium sentio, ut mihi, nisi mortalium ingratissimus esse & haberi velim, non ampliùs oscitandum aut torpescendum sit, neque expectandum, an quid alii moliantur, aut parent, sed rumpenda potiùs mora, class-

classique habenæ immittendæ. Nam per immortalem Jesum, quid est, quod verear, quò minus bellum hoc honestissimum ac piissimum amplectar? Anne corpusculum, anne regna, & reliqua bona, anne denique animam ipsam amittam? Verùm hæc omnia, ut à Deo mihi concessa, ita ipsi Deo tandem restituenda sunt, ut planè profitear, quicquid huic bello destinandum sit, meum non esse, at ei, cujus id est, jure ac meritò reddi debere. Bellum itaque nobis proponitur, in quo nihil, quod nostrum sit, perdere possumus: sed in quo etiam perdendo vincamus, perpetuamque felicitatem adipiscamur. Satis mundo inservivimus, sat voluptatibus concessimus, reliquum ætatis Deo dandum & consecrandum est. Victoriâ olim de regno seculari dimicantes consecuti sumus. Quid speramus fore, si de Christo ac pro Christo pugnam omnium pulcherrimam subierimus? Perpudeat jam Christianos & Christianorum principes tot populorum à Mahumetanis debellatorum, tot regum, procerumque interemtorum, tot hominum in servitutem abductorum, aut in Mahumeta-

nam perditissimam hæresim redactorum, virginum stupratarum, Dei veri ac sanctarum imaginum subversarum, atque hujuscemodi prope innumerabilium contumeliarum. Et jam cogitemus, capta Constantinopoli, hoc est, claustris Asiæ destructis, ni hostium conatibus statim obstiterimus, de nobis deque Christiana religione protinus actum esse. His atque aliis rationibus adductus, P. C. si vos item annueritis, bellum pro fide Catholica contra Turcos, quod nobis atque omnium Christianæ Reipublicæ faustum, felix atque fortunatum sit, confestim suscipiam. Pan. post lib. 4.

Vide aliud specimen facultatis dicendi in Titul. Humanitatis, ubi Gabrielem Surrentinum ægrum invisit & consolatus est, ex Pan. l. 3. c. 52.

VII. SAPIENTER DICTA.

Habent Apophthegmata peculiarem quandam rationem & indolem suam, ut breviter, argute, salsè & urbanè cujusque ingenium expriment. Erasmi in dedicat. Epist. præfixa Apophthegmatis.

Decus autem accipiunt ab illustribus
per-

*personis ; quales sunt Pontifices ,
Imperatores, Reges, Legati. Causinus de Elog. div. & hum. lib. 4.
cap. 9.*

1. De vita beata.

In terra Hispania qui vitrea vasa vendere soliti sunt, ea in baculo quodam appensa per urbem deferunt numero octona. Hi cum aliquando, ut Rex aderat, præterirent, ad illorum voces conversum Regem, contemplatumque dixisse ajunt: hisce vitriariis consimilem esse vitam beatam. Nam veluti si quis cum hisce vitriariis ingens precium paciscatur, si octona illa vascula ad certam metam integra & illæsa perducant: contra si unum aliquod in itinere confringant, & vasa & precium omne deperdant: sic nobis injunctum esse onus quinque sensuum perferendorum ac coercendorum, nec non trium animæ potentiarum usque ad vitæ exitum commendatarum: quibus si rectè ac sincerè ad finem usque fuerimus usi, nobis merces ingens repromittatur, beata vita sin. malè ac perperam, pœna perpetua. Pan. l. 4. c. 33. Ms. 36.

2. De animæ humanæ insatiabili aviditate.

1 Super lectionem Annæi Senecæ , quem præcipuè Rex coluit , atque perdidit , quæsitum est ab Alphonso Davolo purpuratorum humanissimo: Cur animus mortalium ita immensus atque insatiabilis foret? Cui ab Alphonso his penè verbis satis est factum. Animum hominis à Deo profectum non prius conquiescere , quàm eò rediret , unde profectus esset. Esse procul dubio animum nostrum Dei & æternitatis capax , propterea neque impleri neque satiari posse iis rebus , quæ fluxæ , fucatæ , & incertæ essent: sed Deum ipsum veluti naturalem sedem & suum quodam modo perfectum bonum appetere , hoc est , solidum & perfectum bonum. Pan. l. 1. c. 31.

2 Alphonsi quæstio rectè soluta est. At poteritne ille ampliùs quærere? Si Deum ipsum velut naturalem sedem appetit animus , cur tam invitus eò tendit , quò ire appetit? præsertim cum hoc bono in terris frui nequeamus. Æp. Sylv. l. 1. c. 31.

3. De

3. De animæ humanæ immortalitate.

1 Maximum argumentum immortalitatis sibi videri dicebat, quòd corpus in hac vita decrefcere videremus, ac per omnia membra suos quafi fines & terminos habere : animam verò, quantò magis ad annos accederet, tantò magis intelligentiâ, virtute, & fapientiâ crefcere. Pan. 4. l. c. 37. Mf. 41.

2 In terra Austria cum obiiffet unus ex primoribus, annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nullâ unquam valetudine offenfam duxiffet, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœftitia fuiffet, idque Friderico Cæfari narraretur : Et hinc, inquit ille, immortales animas cenfere licet. Namque fi Deus eft, quî hunc mundum gubernat, ut Philofophi & Theologi docent, cumque iuftum effe nemo negat, profectò alia loca funt, ad quæ poft mortem animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hic neque bonis fua præmia, neque malis fua fupplicia reddi videmus. Æn. Sylv. lib. 4. c. 37. Mf. 40.

4. De verè Bonis.

Bona illa, quæ habentibus mala & pernicioſa eſſe aliquando poſſent, non modò bona non eſſe, ſed ne dicenda quidem bona, Rex exiſtimabat. Bonum enim perpetuitatis, non momenti; animi, non fortunæ; cœli denique, non mundi hujus, nomen eſſe. Panorm. l. 3. cap. 31.

5. De Honore.

1 Interrogatus aliquando Rex, quid ſibi ſine utilitate honor eſſe videretur? Conſimile id ſibi videri, reſpondit, ut ſi peracutum & peracre quis cernat; ſed offeſus in caligine, aberret in tenebris. Pan. lib. 2. c. 54. Mſ. 59.

2 Interrogatus Sigismundus imperator, cur apud liberas civitates peculatus crimen adeo frequens inveniretur? Idcirco, reſpondit: quia nudos honores civibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat. Æn. Sylv. l. 2. cap. 54. Mſ. 59.

6. De amore mutuo.

Legebamus fortassis Annæi Senecæ epistolæ, atque aderant Franciscus Sacherus

chætus Florentinorum legatus, vir eloquentissimus, ac Ludovicus Cardona celebratissimi nominis Theologus, multiq; præterea docti & clari viri. Quærebatur super præcepto Hecatonis, tanto pere à Seneca laudato; * *Si vis amari, ama*: numquid in aliquo sub exceptione falleret, essetque, videlicet, ut quis amaret, nec mutuò tamen amaretur? Hic cum multi multa fermeque omnes Hecatonis & Senecæ dictum probarent, susciperentque: Ego, Rex inquit, pace omnium dixerim, aliter sentio. Est mea quidem sententia, ut quis amet, nec vicissim redametur. Et quis aut certius aut flagrantius diligit, quàm qui homines fecit, atque hominum causa omnia fecit? Cumque id ita esse nemo vivus ambigat; quis tamen est, qui mutuâ charitate Deum complectatur? Imò verò quid mirabilius aut potius detestabilius est, cum aut hunc aut illum hominem amantibus nobis interdum in officio non respondeatur: Deum verò amantibus certissima sit illius charitas, nec charitas solum, sed amoris merces perpetua lux, & sempiterna tranquillitas; nihilomi-

B. 7

nus.

* *Epist. 9. lib. 1.*

nus obdurati persistimus, nec amantem redamamus? Quod ego arbitror nobis evenire ob nullam aut certè perambiguam & exiguam in Deum fidem. Dum enim bonis hisce præsentibus atque volùptatibus delinimur & obcæcamur, cœlestia, quæ non videntur, neque tanguntur, non modò non curamus, sed nec omnino futura confidimus; ut si quis admodum sitiens audiat, aquam limpidam & puram procul esse; sed vicinam & propinquam potius bibat, licet turbidam & lutulentam. Præclare igitur, quicumque dixerit, donum Dei fidem esse. Pan. l. 1. c. 49.

7. De conjugio.

1 Matrimonium ita demum exigi tranquillè, & sine querela posse, dicebat, si mulier cæca fiat, & maritus surdus. Pan. lib. 3. c. 7. Innuens, feminæ genus obnoxium esse zelotypiæ, atque hinc oriri rixas & querimonias, rursum marito permolestam esse uxoris garrulitatem, qua molestiâ cariturus sit, si fiat surdus, nec illa vexabitur adulterii suspicione, si careat oculis. Sic interpretatur magnus noster Erasmus, teste Spigelio ad d. l.

2 Quid.

2 Ottacharus rex Bohemiæ, cum de pudicitia conjugis sinistri ad se rumores delati essent: Lex, inquit, naturæ est: Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent. *Æn. Sylv. l. 3. c. 7.*

3 Cum audisset Rex, me uxorem esse ducturum, primò improbavit: arbitratus, de cætero literis simul & uxori me operam dare non posse, ac proinde verâ solidaque literarum voluptate cariturum. Sed cum mox audisset, me Leonoram Aureliam virginem probam, nobilem ac formosam duxisse, approbavit, literarum commoda & honesti conjugii suavitatem in æquo ponens. *Pan. l. 3. c. 27.*

4 Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senensis utroque jure consultissimus, cur minus solito literis operam daret? uxorem, inquit, duxi. Rursus interpellatus, cur Socrates postquam duxit uxorem, non itidem Philosophiæ studia neglexisset? Xantippe, ait, morosa fuit, & ut existimo, deformis: mea verò proba est, & formæ non postremæ. *Æn. Sylv. lib. 3. c. 27.* Lego cum simul aluisse domi duas uxores, Myrtô & Xantippen. Proinde demiranti cuidam, in quem tandem usum aleret
duas

duas mulieres, præsertim rixosas, nec eas domo exigeret: Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam, qua mihi in publico utendum est: harum moribus exercitatus commodior ero ad aliorum consuetudinem. Spigel. ad d. l.

8. De bestiarum exemplo.

1 Cùm essent, qui apud Regem causam bestiarum contra homines defenderent, & modò turturis castitatem, modò cornicis, quæ mortuo compare novem hominum ætates vidua perduret, modò formicarum providentiam, modò canum sagacitatem, modò ciconiarum pietatem, modò apum in regem observantiam, & id genus multa pro brutis animalibus afferret in medium; Regem ita respondentem audivimus: Sive id brutis ab inclinatione naturæ, sive ex Dei dono datum sit, se non alia causa datum ac concessum esse existimare, quàm ut homines turpiter nequiterque viventes, erubescant à brutis & à rationis expertibus superari. Pan. l. 3. c. 5.

2 Barbaræ, quæ Sigismundi Cæsaris uxor fuit, ac eo fati functo vidua superstitit, cum sibi diceret aliquis, imitandum

tandum turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam castitatem servaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres jubes; cur non columbas potius, passerisque proponis? *Æn. Sylv. lib. 3. c. 5.* Vox parùm pudica, sed quam aliam, quæso, expectares ab ea, quæ vomica fuit Cæsaris, & persuasa animam æquè atque corpus interire. Nihil degeneravit à paternis moribus. Nam filia fuit Friderici Comitis Ciliæ, omnium ætate sua viri flagitiosissimi. Ex *Spigel. ad d. l.*

9. De Taciturnis & loquacibus.

Quæsiit fortasse aliquis, ubi Rex aderat: cur qui verè saperet, taciturnior esset; qui minus, loquacior? Et cum aliud aliud in causam duceret, Regem tandem his penè verbis respondentem audivimus: Qui verè sapit, habet hic intus, unde gaudeat. alitur quippe ejus animus Sapientiâ, qua maximè alimoniâ contentus requiescit. Ex diverso, qui minimè sapit, ejus ipsius animus, cum intus non habeat quicquam, unde impleatur aut gaudeat; necessum est foris quærat, unde vanâ saltem jactantiâ sapere videatur. Itaque ille ad conscientiam

scientiam omnia refert, hic ad ostentationem. Hæc non inscitè Rex cùm dixisset, Tibulli poetæ tersissimi versus in medium prolati sunt, Regis, ni fallor, sententiam confirmantes:

* — Procul absit gloria vulgi.

Qui sapit, in tacito gaudeat ipse sinu.

Rex versus exosculatus, illos edidicit.
Pan. lib. 1. c. 51.

10. De Barbaris.

1 Cùm Syracusanum equitem truculentis moribus Rex hominem barbarum appellasset, atque ille, quod præclara prima Græcâ origine esset, nomen barbari abhorrens, iniquo animo ferre injuriam videretur: Ego, Rex inquit, non à prima origine soleo, sed à moribus barbaros definire. Pan. lib. 1. cap. 53.

2 Et in Græcia & in Italia nati educatique barbarizant. Nam quid magis barbarum, quàm rapto vivere & omnem æquitatem, omnemque religionem proculcare, quem Italicum morem esse videmus. Æn. Sylv. lib. 1. cap. 53.

11. De

* Tib. in fine lib. 4.

II. De Fœnore.

1 Fœnus nihil aliud sibi videri, quàm animæ funus, dicebat. Panorm. lib. 3. cap. 34.

2 Fœneratores, utpote labores mortalium depascentes, harpyias vocitabat. Pan. l. 4. c. 16.

3 Cum beatos quispiam fœneratores coram Sigismundo diceret, qui dormientes rem augerent: Et tu ergo miser, inquit Sigismundus, qui rem vigilando comminuis. Æn. Sylv. lib. 4. cap. 16.

12. De Mendacio.

Mendacium ex iis potissimum emanare dicebat, qui aut multum legisserent, aut multum peragrasent, aut vixissent multum. Pan. l. 4. c. 32. Ms. 35.

13. De Hypocritis.

1 Cùm esset Rex apud Ænariam insulam, in quam unà cum victoria Africana morbum intulerat, & inaudito genere pestis laboraret exercitus, renunciatur ei inter cæteros, Antonium Picentem ordinis Eremitarum, nobilitatum post mortem, hypocritam

tam per summos cruciatus animam exhalâsse, jactando plurima in Christum Dominum, & virginem ejus Matrem convitia atque blasphemias. Hic est ille Antonius, qui quadraginta dies & noctes perpetuò jejunare ferebatur; qui Italiam, Siciliam, atque Hispanias compleverat nomine sanctitatis & abstinentiæ suæ. Periculum fecerat abstinentiæ pluribus locis cellâ præclusus, & à custodibus observatus, nihil edens, nihil bibens; quoniam in prævisa ac prætentata cella, in qua nihil, quod vel observare liceret, inesse videretur. Cæterum angelos ei quotidie ministrare ac confabulari solitos, opinabantur. Verùm ipsi intus in cella erant candelæ crassiores, exterius quidem & superforiè ceratæ. Sed in quibus fistulæ caninarum concludebantur, farinâ infartæ, quæ ex contritis phasianorum ac caponum carnibus, zaccaro ac aromatibus immixtis, condiebantur.

Ajunt & cingulum gestâsse fistulatum; plenum nectare, quod hippocraticum vocant. His epulis clanculum vescabatur, vir habitus ubique sanctus, & mortalium omnium, qui unquam fuerunt, aut essent, vulgi opinione, abstinenten-

nentissimus. Is igitur cum renunciaretur Regi vermiculis ac acerbissimo genere mortis absumtus, dixisse ferunt: propterea Deum in hypocritas tantopere sævire, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem. Ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefelissent: ut intelligant mortales, à tali monstro maximè sibi cavendum esse, quòd Deum ipsum, nedum post mortem, sed etiam in vita ipsa, haberent indubitatum ultorem. Pan. l. 2. c. 9.

2 Scribit Pontanus lib. de Sermone 2. traditque & sub Ferdinando rege F. Alphonfi, Cajetanum quendam cœnobitam fuisse Gerhardum, qui septimum in diem cibo abstinere consuevisset ac potu. indeque sanctum habitum, ac Deo carum; at demum industriâ regis hypocrisin detectam. Lege eum omnino, ut devoveas sanctimoniam ostentatores. Spigelius ad d. l.

3 Mulierem, quæ in dies quadraginta totidemque noctes nihil omnino ederet, se vidisse Patavii, Magnus Albertus scriptum reliquit. neque id contra naturam esse in femina ægrotante
&

& frigida. Verùm sub Nicolao quinto Pontifice maximo ex ultimis Galliarum finib⁹ presbyter Romam venit, qui se in quadrienniū nullo usum cibo assereret, nisi cum aliquando ab Episcopis invitatus paululum quid degustasset, inediæq; suæ in multos dies, si quis optasset, periculum faciebat. Hic dum Senis esset, Leonardo nostro Imolensi Romanam se curiam petiturum ait, scandalumque ibi passurum, at non periturum tamen. Cum venit Romam, dies illic multos fuit, admirationem sui turbis fecit, quasi sanctus, & Deo carus. Postremò captus, virgi que cæsus, in exilium est actus. Suspectum est enim, quicquid prodigiosum est. *Æn*, l. 2. c. 9.

4. Nostrâ ætate apud Augustam claram Alemanniæ urbem mulier fuit, quam & ipse vidi & loquentem audiui comes Ioanni Stabio, magni seculo nostro nominis mathematico, qui Cæs. Maximiliani jussu pleraque ex ea sciscitabatur, credita passim ab omnibus cibis abstinuisse multis annis. Sed & quæ apud viros summo tum fastigio, tum loco inediæ fidem jam obtinuerat: verum tandem à cordata principe Cunigunde sorore laudatissima jam vidua,
ma-

matre inclytorum Bojoariæ principum, qui nunc amabili concordia rerum potiuntur, ob fraudem, miro ingenio deprehensam, ultimum merebatur supplicium, sed clementia Cunigundis intercedente, tantum provinciâ interdictum est. Spigel. ad d. l.

5 Erat inter purpuratos aliquando orta quaestio: Cur hypocritæ naturâ superbi essent, Publicani verò mansueti? Et cum alii aliud, ut fit, sentirent, Regem demum ita definientem audivimus: Publicanorum vitia, ut plurimum manifesta esse: puta luxuriam, gulam, illiberalitatem, & cætera ejusmodi, quæ quoniam hominum oculis subjecta forent, solverentur in ruborem, verecundiam & humilitatem: hypocritarum verò vitia in occulto latere, utpote odium, invidiam, malevolentiam, iniquitatem; quæ cum in arcano tolerari diutius non possunt, erumpant in superbiam, necesse est, iram item, arrogantiam & insolentiam. Pan. l. i. c. 38.

6 Hypocritarum vitam Friderico Cæsare coram accusabat Casparus Schlichius, abiturumque sese aliquando in loca dicebat, quæ hisce hominum monstris vacua essent. Cui Fridericus: Ultra

tra Sauromatas ergo, inquit, & glaciale Oceanum tibi eundum est. Sed cum eò veneris, non omnino carebit hypocrisis locus, si modò & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque sit. *Æn. Sylv. l. 1. c. 38.*

14. De naturæ benignitate.

I Audivimus Regem de benignitate naturæ differentem dicere, quòd etiam in vitiis quodam modo prospexisset generi humano. Nam pro fornicatione matrimonium permisisset, pro invidentia æmulationem, pro acedia sive otiositate laxamentum, pro gula & ventris ingluvie cibatum, pro avaritia parsimoniam, pro ira admonitionem increpationemque; pro superbia verò nihil omnino indulgisset: ut intelligant superbi, non solum hominibus se, sed etiam Deo & naturæ, infestos ac detestabiles esse. *Pan. l. 2. c. 55. Ms. 60.*

15. De Adulatoribus.

I Adulatores autem lupis haud ab similes dicebat esse. Nam quemadmodum lupi titillando ac scalpuriendo asinos

nos

nos vorare soliti essent : sic adultores ad perniciem principum ; blanditiis simul ac mendaciis contenderent. Pan. lib. 3. c. 17.

2 Antisthenis dictum suspicere ac frequenter usurpare consuevit : Si vel in corvos vel in adultores incidere oporteat, satius esse in corvos incidere : hos quidem , qui mortui essent ; illos verò , qui viverent, devorare. Panorm. lib. 2. Ms. c. 48.

3 Laudanti se supra modum & Diis persimilem esse prædicanti cuidam alapas Sigismundus non paucas incussit, dicentique illi ; cur me cedis ? cur me mordes ? ait. Æn. Sylv. lib. 2. c. 47. Ms. 48.

16. De magistratu.

Quemadmodum argentarii ad aurum atque argentum probandum cote indice utuntur ; ita se, Rex, uti magistratibus ad cognoscendum civium mores, atque animos, dicebat : magistratu quidem maximè homines demonstrari atque cognosci. Pan. l. 3. c. 8.

17. De αὐτοκρατία.

1 Ab diis olim Jove, Neptuno, Plu-
C tōne

tone, omnia tripartita fuisse memorabat, & suâ quemque sorte, parteque contentum agere: at hominibus hodie, neque quod satis, neque quod minus esset, satis esse. Pan. l. 4. cap. 30. M^s. 33. Notavit verius principum ambitionem, etsi inter privatos neminem quoque sua portione contentum esse reperias. Spigel. ad d. l.

2 Si quem sua sorte contentum esse decet, non est, cur Alphonsus de fortunæ distributione queratur, qui trium Deorum imperia obtinet, Plutonis, Hispaniæ regna; Neptuni, Siciliam & alias insulas; & Jovis, Italiam: quamvis sua virtus totius orbis imperium meruit. *Æn. Sylv. lib. 4. c. 30. M^s. 32.*

18 De Viriato Lusitano.

In Calaciæ obsidione cùm adhuc essemus, & esset de Viriato Lusitano inter Regem & me non injucunda dissensio, quod ego inter Viriati laudes maximè præferebam, quòd cibum vestitumque, quibus pastor aut venator uti consueverat, nunquam postea deseruisset, licet imperator & victor ille per continuos XIV annos consules exercitusque Romanos attrivisset: super-

pervenit huic sermoni Simoninus Dur-
rea purpuratorum princeps, præfectus
castris. Cumque locum, qui inter Re-
gem & me medius erat, equo inveh-
turus capere instaret, Rex vultu renitens pro-
hibuit, asserens, locum illum, cum de
literis, aut cognitione antiquitatis age-
retur, non purpuratorum, sed toga-
torum esse. Cessit ergo Simoninus. Rex
verò ad Lusitanum suum reversus: Re-
ctè, inquit, nonnulli virum hunc Hi-
spanorum Romulum appellarunt; rectè
item Romani eos, qui talem virum,
quamvis hostem, interemissent, indi-
gnos præmio judicarunt. Panorm. l. 1.
cap. 42.

VIII. PIETAS ET RELIGIO.

*Antisthenes, non solum sapientiâ, aje-
bat, præstare par esse, qui antecedit
imperio, sed etiam religione ac pie-
tate. Plutarch. de profectu morum.*

*Superstitio autem principi fugienda
maximè; etsi 1. in tristibus aut
adversis saepe se insinuat; 2. in fri-
volis aut parvis se ostendit. Lips.
mon. & exempl. Polit. l. 1. c. 3.*

I Alphonfus Christum verum &
singularem Deum sibi colendum unicè

delegit, sanctissima omnia ejus mandata ac præcepta custodiens. Neque remorantur eum ardua, ut sunt regum negotia, quin quotidie diluculo surgens, orationes, quas vulgo vocant horas, in interiore sacello genu flexus, cum gemitu ac suspirio ad Deum ipsum effundat. Inde in templum prodiens, jam die lucente, quaternas Missas (sic enim Christiani mysteria vocamus) admirandâ devotione quotidie auditque & videt. Jejunia omnia nobis indicta inviolabiliter observat: Mariæ virginis vigilias, & quæ septem gaudia appellant, aqua dumtaxat & pane solo traducit, nonnunquam ne pane quidem aut aquâ libatâ. Veneris præterea & Sabbathi quoque die, in Christi salvatoris & virginis Mariæ reverentiam jejunio affligitur. Cumque sit ipse in vestitu cæteroque cultu corporis moderatior; in extollendis tamen, exornandisque sacerdotibus atque aris omnibus omnium, qui unquam fuerunt aut sunt, elegantias & cultus excedit, auro, gemmis, margaritis, unionibus, torcumatibus immensi precii, omnia collucent ac micant. Qui verò Musicâ in tota Europa insignes habentur, ingenti mercede accer-

accerfuntur, quotidieque in templi choro Dei ac sanctorum laudes divinaque officia concinentes audiuntur, lenta & hebetia corda, si quæ affunt, ad Dei amorem excitantes, excitata jam incitantes & inflammantes. Panorm. in procem. præfixo lib. 4.

2 Constat par studium Cæsari Maximiliano fuisse; eoque iuvante, quæ vetustas ignoravit, Musices instrumenta esse inventa. Spigel. ad d. l.

3 Igitur Alphonsi religionis admonitus illud adjiciam, quòd de singulis annis per quadragesimam piè & religiosè facere consueverit. Die quidem Dominicæ cœnæ ad vesperum linteo præcinctus LX. pauperibus mendicis sordidatis, humillimè ac submissè suis manibus pedes lavat, lotos atque exteros pronus deosculatur. Post hæc discumbentibus illis propinat atque ministrat; cœnatos verò omnes dimittit cum pecunia & vestibus novis. Hac de re cùm aliquando recitarentur literæ in Venetorum senatu (aderam quidem ego Regis legatus) nonnullos è patribus vidi, pietate compunctos, à lacrymis minimè temperasse. Pan. l. 4. c. 1.

4 Interfuimus hoc anno, dum hæc

fierent. Cæcus in capite mensæ affedit grandævus, qui ante sedecim annos lumen se amisisse aiebat. Ministrabat huic Rex, ac nobis audientibus, interrogabat, an cæcitatem molestè ferret. Cui cæcus, nesciens Regem esse, qui secum loqueretur; nisi divina gratia esset adiumento, nemo, inquit, cæcus vivere optaret; tanta est miseria cæcitatæ, iis præsertim, qui aliquando lumen viderunt. Tum Rex, velles ne, inquit, ex hac vita migrare? Minimè, inquit ille. Tum Rex, at si miser es, cur è miseria eripi nolis? Nescio, inquit cæcus, an moriens ad maiorem miseriam hinc demigrem; nec quò vadam, mihi certum est. Tunc unus ex purpuratis, An nescis, inquit, quod piè viventi loca tibi piorum patebunt? Scio, inquit cæcus, tria esse loca, ad quæ dimissis corporibus animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cœlum evolare; malorum, inferna petere; iis verò, qui, cum ante fuissent mali, tamen ante obitum sese recognovere & dolentes pro malefactis prius obierunt, quam pœnitentiam agerent, purgatorium locum adeundum esse. Tum purpuratus, si hæc credis, & peccato abstin-

nes,

nês, cur mori nolis? Credo, inquit cæcus, benè morienti mihi benè eventurum. Sed quis est hic, qui benè se moriturum sciat? Tum Rex, sapit, inquit, cæcus, ex media Theologia sententiam profert. Audivit cæcus Regem nominari, & quisnam rex esset, Regem ipsum interrogavit. Tum Rex, ego, inquit, quí loquor tecum. *Æn. Sylv. l. 4. c. 1.*

5 Sed & id longè admirabilius, quòd opulentissimâ urbe Massiliensi vi potitus, nihil inde præter divi Aloisii corpus deportaverit. Indignum sanè dijudicans, tam venerabiles reliquias in urbe victa, direpta & incensa remanere debere. Illud quoque non omittendum, cùm inde in Hispaniam enavigans asperrima maris tempestate jactaretur, & nautæ, & sacerdotes, & commilitones unà omnes conclamarent, Aloisii corpus, velut periclitationis causam, remittendum esse; illum in proposito perstitisse, & aut sibi unà cum Aloisio pereundum esse, aut in longè augustiorem, diisque acceptiorem civitatem se sanctissimi corporis reliquias conditurum, asseverasse. Vicit pertinacia, pervenitque Valentiam ulteriorem Hispaniæ inclytam civitatem.

ubi sanctissimum Aloisii corpus, clarissimæ victoriæ solam mercedem, sed æternum suæ gloriæ monumentum, summâ cum veneratione ac gratulatione civium collocavit. Pan. l. 2. c. 4.

6 Ratisbona super Danubii ripa apud Bojoarios magna & insignis urbs est. Hic sancti Emmerani vetus monasterium cum viseremus, Abbas qui loco præerat, reconditum nobis ostendit corpus, quod divi Dionysii Areopagitæ esse asseveravit. Cumque nos Dionysium apud Parisios observari diceremus, Leonis Papæ literas in medium attulit, quæ testarentur, imperatorem, si rectè meminimus, ex Henricis unum, cum regem Franciæ invississet, ac Parisiis ageret, hæc ossa furatum huc detulisse; appellatque sanctus Pontifex pium Imperatoris furtum. Nos Regis pium spolium dicere possumus, quo sanctissimus Aloisius ex Massilia in Valentiam translatus est. Æn. lib. 2. c. 4.

7 Alphonfus quodam die Panormi sacratissimæ Dominicæ hostiæ obviam factus, equo defiliit, corpusque Domini comitatus, deductus est tandem in domum mulieris laborantis è gravi partu,

tu, atque penè jam mortuæ. Quâ ex re valde sollicitus atque anxius, Putio, qui tum aderat, mandat, ut illico divæ Serenæ cingulum afferat, quo allato, & summâ cum devotione super jacentis corpus imposito, statim incolumis enixa est. Pan. l. 3. c. 19.

8 Ludos autem Christianos magnificentissimo apparatu, devotissima ac solenni repræsentatione ingenti hominum frequentia, ac celebritate quotannis edentem Alphonsum perspectavimus. Imò verò cùm accepisset Hetruscos istiusmodi ludos singulari industria commentos esse, ne hac saltem in re, quæ ad divinum cultum pertineret, à quoquam mortalium vinceretur, omnia perscrutatum atque exploratum eò misisse; explorata longè præclarius atque artificiosius expressisse. Panorm. l. 1. c. 35.

Magnificentissimos eos fuisse ludos, ex Friderico Imperatore accepimus, qui eo præsentè per sacram hebdomadam editi sunt, anno post jubileum altero. Æn. l. 1. c. 35.

2. *Tuitio sacrorum, famam & potentiam donat. Lips. mon. & exempl. Polit. l. 1. c. 2. mon. 3.*

Scimus Alphonsum hortatu ac precibus Eugenii Pontificis expeditionem Picensis regionis, quæ à Francisco Sphortia potentissimo ac præstantissimo copiarum ductore teneretur, instituisse: atque inde tandem Dei optimi maximi benignitate Sphortiam ipsum expulisse, & Pontifici, Ecclesiæq; recuperatam provinciam restituisse. Cumque & una & item altera urbs è receptis ob gratitudinem ultrò à Pontifice offerrentur Regi, illas ingenti animo repudiassent, non se quidem quæstus, sed Dei & Ecclesiæ gratia expeditionem illam suscepisse, dicentem. Panorm. l. 3. cap. 42.

- 3 *Omnia decenter & ordine (in Ecclesia) fiant. 1. Cor. 14. 40. Itaque nemo sit ἀλλοτριος πικρον, id est, alienorum appetitor, seu curiosus alienarum rerum inspector. ex 1. Petr. 4. 15. sed unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat. 1. Corinth. 7. 20. Ephes. 4. 1.*

Mortuo Eugenio Pontifice, cum electio novi Pontificis ritè institueretur, multi cum aliunde, tum ex collegio ipso

Car-

Cardinalium ad Alphonsum, qui per id tempus Tiburi cum exercitu erat, adeuntes obtulerunt, sese pro ipsius Regis sententia aut libitu vel hunc vel illum Pontificem creaturos. Quibus Rex, uti cum crearent, respondit, quem ad tantæ molis gubernaculum sustinendum pro eorum prudentia crederent aptiorem, Deoque acceptiorem futurum. Se quidem Tiburi interim permansurum, illisque totis viribus obstaturum, quos, quò minus libera & in Spiritu sancto comitia fierent, intercessum ire animadverterent. Panorm. Ms. l. 2. 49.

4. *Sacrorum antistites aut administri, honorandi, audiendi sunt. Lips. monit. & exempl. Polit. l. 1. cap. 2. mon. 4.*

1 Virginibus omnibus Christi, Dei verissimi sacris initiari cupientibus, dotem sine qua haud recipi mos est, Regem elargitum constat. Cùmque essent ferè innumerae, quæ dotis spe propositâ mundo renunciarent; sacrasque nuptias adirent; nunquam tamen à tam liberali & religiose proposito destitisse. Imò verò quantò plures sese quotidie

ad sacerdotium offerrent, eò libentius atque benignius omnes excipere atque dotare consueſſe. Panorm. lib. 1. c. 18. Ms. 19.

2 Simili liberalitate usum Regem accepimus in pauperes presbyteros, qui divinam rem primùm faciunt. Æn. Sylv. lib. 1. c. 18.

3 Simili pietate ac liberalitate usus in Theologos pauperes. Nam cùm ad doctoratum ascendere, nisi magnis sumptibus (eò quòd corrupta ac depravata sint omnia) non possent, eos & pecuniâ juvare & præsentia condecorare non destitit. Pan. l. 2. c. 52. Ms. 57.

4 Cùm in prædicatione cujusdam viri sancti somno Rex admodum gravaretur, nec id dignitati aut attentioni suæ convenire intelligeret, digitis digitos occultè quidem ita contorsit, ut soporem præ dolore omnino excuti, & amoveri necesse esset. Pan. lib. 3. cap. 18.

5 Animadvertit religiosus quidam prædicator, ex ordine Minorum, Albertum Cæsarem Ladislai patrem, qui sermonem suum Viennæ audiret, somno gravatum esse, atque altiore voce, quæro, inquit, ex vobis, qui astatis, salvari

salvari ne principes possint? Cumque rem dubiam & admodum difficilem reddidisset, jamque Rex excitatus attentissimus esset: Apagete, ait: namque si baptizati principes vel in cunabulis moriantur, non est desperanda eorum salus. Æn. Sylv. l. 3. c. 18.

5. *Sacra nec in periculis deferenda aut negligenda. Lips. monit. & exempl. polit. l. 1. c. 2. mon. 2.*

Invoca me (Deum) in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me. Psalm. 49. seu 50. v. 16.

Prisco instituto rebus divinis operatur, cum aliquid commendandum est, precatone; cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione. Valer. Max. l. 1. c. 1. n. 1.

1 Alphonfus rex cum accepisset, Joannem patriarcham, illum omnium bipedum nequissimum, ingenti cum exercitu Falerni esse, contra eum iter tetendit, atque in itinere per difficiles ac confragosos tractus Sanseverinos, cum Paulum Teutonicum obviam habuisset, unum ex ducibus patriarchæ, illum cum exercitu fudit, cepitque: qua clade perculsus patriarcha, à Rege indu-

inducias belli supplex petiit & impetravit. Posthæc cum Iacobo Caudola reconciliata amicitia conjunxit exercitum, atque immemor federis & jurisjurandi adversus Regem, nihil tale suspicantem, duplicato exercitu magnis continuisque itineribus contendit. Erat Rex in vico Iuliano, rem divinam sollemniter ac devotissimè de suo more rituque faciens. Siquidem natalis Domini dies celebrabatur, cum ambos duces, ambos exercitus haud procul abesse nunciatur Regi. Ille verò rei divinæ cultum gloriæ ac vitæ præponens, non prius, quam peractis sacrificiis, capere arma milites jubet, & jam prælium utrinque initum erat. Certabant illi numero longè superiores, regii verò virtute præstantiores. Sed Dei optimi atque justissimi auxilio regii ipsi adjuti, plures ex hostibus equos militesque cepisse, quàm sarcinas amisisse, memorantur. Rex Capuam se recepit. Patriarcha in Apulos recessit, ubi relicto proditoque à se duce atque exercitu per mare Adriaticum naviculâ trepidus effugit. Pan. l. 3. c. 50.

2 Illud quoque ad memoriam Trojanæ victoriæ insigne existit, quod reversis

versis militibus è proelio in castra, unde profecti erant, cæteris, ut fit, corpora passim curantibus, ipse Rex non prius aliquid gustare, non prius exarmari aut pulverem & sudorem extergere passus est, licet in mediis & æstatis & dici & Apuliæ flagrantissimis calori- bus, quàm rem divinam vel solenniter fecerit, Jesuque gratias pro victoria egerit armatus, jejunos ac proelio defatigatus. Pan. lib. 2. c. 24.

6. *Ne recedat volumen Legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Iosua 1. 8.*

1. Gloriatum assiduè Regem scimus, quòd Biblia quater & decies cum glossis & commentariis perlegisset. Proinde illa memoria ita tenere, ut non solum res, sed & verba etiam ipsa pluribus locis sine scripto redderet. Panorm. l. 2. cap. 17.

2. Pudeat Italiæ sacerdotes, quos ne semel quidem novam legem constat legisse. Apud Thaboritas vix mulierculam invenias, quæ de novo testamento

mento & veteri respondere nesciat. *Æn.*
Sylv. l. 2. c. 17.

7 *Cum feceritis omnia, quæ præcepta
 sunt vobis, dicite: Servi inutiles
 sumus; quod debuimus facere, fe-
 cimus.*

Alphonfus quanquam ita religiosus
 est, & divini cultus observator, ut scri-
 bis, non immemor tamen Euangelicæ
 doctrinæ post jejunia & orationes, cæ-
 teraque pietatis opera, in quibus non-
 nunquam se exercet, servum se inuti-
 lem ait. Novissimis enim diebus, cum
 convenisset eum Ioannes Solerius ora-
 tor Apostolicus, ac de pace Tusciæ se-
 cum ageret, inter alia sapienter dicta:
 Scio me, inquit, postquam regnare cœ-
 pi, quam plurimos homines è modica
 fortuna ad magnas opes ac potentiam
 evexisse, qui postea benefacti imme-
 mores exstiterunt. Ea verò res mihi mi-
 nimè admirationi est, cum & ipse eo-
 dem ingratitude vitio laborem. Nam-
 quis plura ex optimo maximoq; Deo,
 quàm ego, beneficia accepit; quia na-
 tus ex regibus, amplissima regna hæ-
 reditario jure sum consecutus. Nec mi-
 nora mihi ipse armis comparavi. Pauci
 mo

me reges inter Christianos antecedunt. Ingenium mihi natura non obtusum dedit, memoriam non infirmam, corpus salubre, vitam longiorem ac morbis ferè inoffensam, opes mihi, deliciae, voluptates abundè suppetunt, literarum quoque nonnullam cognitionem adeptus sum. At ubi mea gratitudo? Quid ego aut facio aut feci pro tot, tantisque divinæ clementiæ in me muneribus? Intelligo me certè ingratum esse, eaque dignum accusatione ac poenâ, quas cæteros promeruisse existimo, qui erga me ingrati sunt, ac tantò majori, quantò gravius est Deum, quàm hominem fallere. Verùm si mihi vita contigerit, est animus, quod hactenus neglectum est, abundè præstare. Injurias enim, quas crudelissima gens Turcarum Iesu Christo, verissimo & maximo Deo nostro, nunc in Græcia, nunc in Asia quotidie infert, ultum ire decrevimus; atque ad id jam naves, jam viros & arma comparavimus. Æn. Sylv. in procæmio, lib. 4. præfixo.

- 8 *Aliquid suspicari aut præsumere de
fatis ex artibus Magorum, arithmeti-
corum, divinorum, Mathematicorum.*
GOTHFR.

corum, & quod aliud tale genus, id verò nefas est, nec divina aut humana lex permittit. Lips. mon. & exempl. Polit. lib. 1. cap. 5. quæst. un.

Quæsitum est inter nonnullos, me audiente, cum in omne hominum genus Alphonsus liberalem ac munificum sese ostenderit, cur solos Astrologos præteriret? Neque enim hujus scientiæ præceptores, sicut aliarum disciplinarum magistros, in ejus curia obversari videmus. Tunc unus, qui magis scire videbatur; Sidera, inquit, stultos regunt impelluntque: Sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est; non sapientes, inter quos nomen suum Alphonsus obtinet. Tum alius Petrus de Monte Ilirino inquit: Non incelebratus Astrologus, congregato apud Constantiam generali Christianorum Concilio, judicium de rebus futuris edidit. In quo & Sigismundum eo anno coronandum Romæ, & Ioannem Papam tertium & vicesimum, qui ad Concilium vocatus ierat, cum gloria redditurum asseruit. At cum magna Synodus Ioannem summo pontificatu abdicasset,

Sigis-

Sigismundus autem ingressu Italiæ multis post annis abstinuisset, arguentibus plerisque Petrum, qui adeo manifestè mentitus esset: at mihi de duobus stultis, inquit ille, judicandum fuit, de quibus ne vera quidem profari Ptolemæus potuisset. *Æn. Sylv. l. 4. c. 3.*

IX. PIËTAS IN PARENTES.

1 Honora patrem & matrem. Exod. cap. 20.

Parentes in-primis honoribus afficias. Philemon apud Stobæum.

Nihil est tam honorificum liberis, quàm debitum honorem parentibus offerre. Euripid. apud eundem.

1 Cùm peregre advenienti Ferdinando patri obviam progressus advertisset, illum lætica vectari valetudine affectum; statim equo desiliit, ut patrem pedibus comitaretur, & si opus esset, humeris aut cervice etiam sustolleret. Cumque è lætica pater identidem cohortaretur, ut exemplo multorum procerum, juxtà adequitantium, & ipse quoque equum conscenderet: Alii, inquit, ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint; ego quidem adduci ipse

ipse neutiquam potero, quin regem, quin patrem & eundem ægrotum pedibus sequar. Pan. l. 2. c. 28.

2 Dissimilis Ludovicus Bojoariæ dux, qui adversus Ludovicum patrem impia arma movit, nec veritus est venerandum & grandævum senem durâ & miserabili obsidione vexare. Sed correptus vehementissimâ febre, ante diem suum obiit, quam patrem posset in vincula conjicere. Neque enim adversus paterna jura agere impune cedit, neque longævi sunt super terram, qui parentes inhonorant. Infamis ætas nostra, quæ non Ludovicum hunc tantum, sed alterum Ludovicum Franciæ Delphinum, & Alphonsum Castellæ primogenitum in patres armatos vidit. Æn. Sylv. l. 2. c. 28.

2 *Liberi auscultate in domino parentibus vestris. Eph. 6. 1.*

Parentibus obedire liberos, æquum est. Euripid. in Alope.

Imò & patri, quamvis ingrato, semini quo, sicut legi austera, mos tamen gerendus est. Socrat. apud Stobæum.

1 Ferdinandus pater & ipse inclytus

tus rex, moriens Alphonsum filium his penè verbis alloquutus fertur. Optime fili, quoniam regna, quæcumque, dum Deo placuit, obtinui, ad te ætatis prærogativa deferri & scio & volo, optarim eas modò terras, quas ea parte Hispaniæ, quam Castellam vocitant, habemus, Ioanni fratri tuo, si modò per te liceat, relinquere. Quod ne molestè feras, abs te peto; & si pateris, etiam rogo. Tum Alphonfus: Ego, mi pater ac domine, satis intelligo, istæc regna & tua ferè omnia ad me quidem pertinere; sed non aliter, quàm beneficio tuo pertinere. Idcirco & pluris semper voluntatem tuam & feci, & facturus sum, quàm ætatis privilegium. Imò verò, si pro tua singulari prudentia regnis ita demum prospicis iri consultum, si Joannem regni successorem reliqueris, nihil recusò, quin ipsum vel ad omnia instituas hæredem. Non aliter, mihi credas, velim, voluntati per me tuæ usque ad postremum spiritum parebitur, quàm divinæ. Tum Ferdinandus: Maeste, inquit, esto pietate & obedientiâ, fili! & obortis lacrymis eum dimisit. Pan. l. 2. c. 30.

2 Fridericus Marchio Brandenburgensis,

gensis, qui contra Bohemos sub Juliano legato Apostolico fortem & numerosum duxit exercitum, conditurus testamentum quatuor ad se filios evocavit, Iohannem, Fridericum, Albertum, & alterum Fridericum; Iohannemque, quod is natu major esset, in hunc ferme modum allocutus fertur. Primus ego, ut nosti, dignitatem Electoratus imperii in nostram familiam adduxi, cum essem Sigismundo Cæsari admodum familiaris. Nunc vocat me suprema necessitas, & curæ mihi est, ne tantum decus in domo nostrâ vilescat. Tibi, ut video, quietis & tranquillitatis est unicum studium. In Electoratu præter curam & assiduam laborem nihil invenias. Eam ob causam, si tuâ voluntate id possum, Marchionatum Brandenburgensem, cui jus eligendi Cæsarem est concessum, Friderico, qui tibi ætate succedit, quique & vigilantior, & ad labores durior, quàm tu, videtur esse, testamento relinquam. Tibi Voithlandiam Alberto, quicquid Franconici juris possideo, & alteri Friderico partem Misniæ. Cui Iohannes: Existima- vi, pater, ante hunc diem, cariorum tibi multò, quàm me, Fridericum esse, cum

cum illi sæpius blandirere; neque id ferre non ægrè potui. Nunc sententiam muto, & te, pater, amo colloque, qui mihi otium, illi negotium supremâ voluntate dimittis. *Æn. Sylv. l. 2. c. 30.*

X. REVERENTIA IN MAIORES BENE MERITOS.

- I *Venerabilius quodammodo est in natura humana, quod est antiquius. Basilii Magn. serm. ἀρχαῖον καὶ 4.*

In oppugnatione Cajetæ cum aliquando defecissent ad tormenta ænea portentosæ illius amplitudinis saxa, nec aliunde haberi facilius possent, quàm ex villa, quæ ab incolis inveteratâ opinionem adhuc asseritur Ciceronis fuisse: ut alicunde disquirerent istiusmodi saxa, Rex iussit, sibi Ciceronis villam, si sciperent, inviolatam servarent. Amplius, malle se, dixit, tormenta & machinas valere sinere, nullique usui esse, quàm injuriâ afficere vel saxa illius viri, qui tot tantosque homines ab injuria, ac capitis periculo, vindicasset patrocínio suo. *Pan. l. 1. c. 48.*

Pium regem memoras, qui vel saxis
Cice-

Ciceronis pepercerit. Qua ille reverentiâ tanti viri ossa confectatus esset? Utinam ejus marmora, quæ triumphalis arcus habet, parem apud posteros pietatem inveniant! *Æn. Sylv. l. i. c. 48.*

2 *Seipionem dicere solitum, scribit Crispus, majorum imagines mirum in modum intuentes ad virtutem excitant. Spigel. ad Panorm. l. 2, cap. 37.*

1 Numismata illustrium imperatorum, sed Cæsaris ante alios, per universam Italiam summo studio conquisita, in eburnea arcula à Rege, penè dixerim, religiosissimè asservabantur. Quibus, quoniam alia eorum simulacra, jam vetustate collapsa, non exstarent; mirum in modum sese delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem & gloriam, inquebat. *Pan. l. 2. c. 12.*

2 Nobis Alphonsus, cum essemus apud se Putcolis, ait inventum à se Neronis aureum nummum, in quo pessimus imperator eam sibi laudem usurparet, qua divus Augustus in cœlum tollitur, *Clausi templum*, quod veteres Jano dicaverunt. damnabatque sapientissimus Rex stultum principem,
qui

qui sibi falsam gloriam vendicaret. Non est igitur, Antoni, cur vel tu, vel ego tanti Regis gratiam consequi mentientes speremus. *Æn. l. 2. c. 12.*

XI. FRATERNUS AMOR.

De hoc vide infra Tit. Imperator, Can. 2. ex Pan. l. 3. c. 41.

XII. DE PRUDENTIA.

Prudentia, quod & referuntur solertia ac providentia, omnibus in rebus primas tenere necesse est. Omnia enim prudentia obtemperant. Contzen Polit. l. 3. c. 2. §. 2. 6. 8.

Accessit quidam ad Regem, & in laudem & commendationem inimici cujusdam sui capitalis verba coram faciens, admirationi erat his maximè, qui firmitatem eorum probè cognôrant. Sed prudentissimo Regi insueta bonitas suspicioni fuit, dixitque seorsum ad amicos & familiares: Hæc benedictia, mihi credite, erumpet tandem in calamitatem inimici, nisi adverterimus. Nec eum fefellit opinio. Sex continuos menses benedicendo ille protraxit, ut è benedictis fidem ade-

D

pius

ptus opportuniùs inimicum opprimeret. At ejus malitia, quæ sub specie bonitatis in caput alterius serpendo grassabatur, Regis prudentiâ detecta est, & insons ille à calumnia servatus. Panorm. l. 2. c. 10.

XIII. HONESTAS ET VIRTUS.

1. *Regi honesta tantum licent. Spigel. ad l. 2. Panorm. c. 45.*

Ea dumtaxat regibus consilia sunt sequenda, quæ honesta sunt atque justa. Idem ad Æn. Sylv. lib. 3. cap. 15.

Rex, princepsve solidam sibi gloriam ex honestè factis petet. Idem ad Pan. lib. 3. c. 15.

Regnum virtute quarendum. Idem ad Pan. l. 3. c. 22.

lis, qui in dignitate sunt, turpius, fraude honestà circumvenire, aut ladere, quàm vi apertâ. Lips. Civ. doct. lib. 2. c. 14.

Nec tibi, quid liceat, sed quid fecisse decebit,

Occurrat, mentemque domet respectus honesti. Claudian.

1. *Inter Johannem Reginam & Alphon-*

phonsum subortâ discordiâ , complures tum arcium præfecti , tum præsides terrarum ac principes adeuntes Regem , polliciti sunt , penè universum Neapolitanum regnum , regina inscia , sese dedituros. Quibus Rex , habere se quidem gratias , respondit : se pluris famam & honorem suum , quàm regnum , quamlibet magnum , æstimare . Suum quidem consilium & fuisse & esse , regnum non dolo aut injuriâ , sed legitimo jure , cùmque & Deo & Johannæ matri placuisset , possidere . Quòd si reginæ in se voluntas immutata videatur , id mollitudini & fragilitati feminarum assignandum esse . Contrà , se & virum & regem esse , meminisse oportere . Panorm. l. 2. c. 45.

2 Redeunte Alphonso à Cajeta Neapolim , cumque una in classe regiâ Johanna regina , & Johannes Caraciolus vir primarius , pluresque præterea proceres ac reguli navigarent , ad eum propius accessisse S. hortiam ajunt , atque dixisse . Nunc , ô rex , si vis , & velle debes , potes universum Neapolitanum regnum absque adversario atque discrimine aliquo extra omnem dubitationem obtinere , hoc est , si quos tecum

D 2 ipse

ipse ducis, eos omnes in Siciliam captivos dimiseris, ac regnes solus. Cui Rex: se quidem si id nesciret, eo proposito ex Hispania discessisse, ut veram & absolutam gloriam, quantum in se esset, reportaret ad suos, quam non perfidiâ & dolo, sed virtute & constantiâ sese posse assequi, Dei optimi maximi benignitate confideret. Reges quidem fortunæ bonis minimè indigere: sed laude potius, hoc est, hominum perpetuâ commendatione & famâ. Panorm. l. 3. c. 15.

3 Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ regem cum educaret Fridericus imperator, non defuerunt perversæ mentis homines, qui perdendum suaderent puerum, cujus vita ingentes molestias Cæsari, mors regna & opes maximas allatura essent. Ad quos ille: Ergo me, inquit, opulentum magis regem, quàm piûm, quàm iustum cupitis? At ego bonum nomen cunctis divitiis antepono. Æneas Sylv. lib. 3. c. 15. Non sic Augustus, qui Cæsarionem Cæsaris patris ex Cleopatra filium è medio sustulit, quò solus imperaret. Digni profectò erant, qui sic invitabant principem ad cognati sanguinis effusionem, ut mox
è nu-

è numero memoriaque viventium tollerentur poenâ legis Pompejæ de parricidiis. Spigel. ad d. l.

4 Offerentes sese quosdam ad Renati Andegavensium Ducis necem, Alphonsus rejecit ac detestatus est, ut, si tale aliquid de cætero cogitare audent, in eos tanquam parricidas animadversurum, minaretur: addens, se quidem virtute, non insidiis, cum hoste de regno contendere. Simile & iis respondit, qui sese in mortem Francisci Sfortiæ paratos esse Regi significarent: nunquam sibi victoriam placuisse, cujus postea pigendum pudendumve esset; nisi ab hujuscemodi consiliis abstineant, talia se exempla in illos editurum, ut ejusmodi consilia, sibi admodum molesta esse, omnes intelligant. Pan. l. 3. c. 22. Mf. 23.

5 Rex Ludovico Podio renuncianti, esse quendam in Venetorum navibus, qui illa unâ cum armamentario, quod in his erat, exurere pollicitaretur, si sibi duo millia aureorum à Rege promitterentur, conatusque illius facile cefuros affirmanti, ita rescripsit: Aliò ipsius curam intendendam esse. Etenim sibi, non quidem insidiis, uti sæpius à

se modò accepisset, sed aut virtute vincendum esse, aut nunquam profectò vincendum. Ex hac enim re non aliam sibi laudem sperandam esse, quàm ejus, qui Dianæ Ephesiæ templum incendisset, cujus nomen totius Asiæ decreto è memoria hominum oblitteratum traditur. Pan. lib. 3. cap. 30.

6 Ad Rudolphum imperatorem venit quispiam, qui Othaccarum Bohemiæ regem in venatione sese occisurum permetteret, si factò præmium esset. Cui Rudolphus: Etsi noster hostis est Othaccarus, eumque odimus; non tamen id efficiet, ut justitiæ & moderationis fines transeamus. Æn. Sylv. lib. 3. c. 30.

7 Rogerius Pallantiæ Comes, amplissimo atque ornatissimo genere natus, impiger vir & manu promptus, Regem adiens, indicat, in animo sibi esse, Johannem Castellæ regem, ipsius hostem, contempto omni periculo, confodere; foreque id sibi, si modò annuat, factu perfacile. Cui Rex, se non solum pro Castellæ atque Hispaniæ dominiu, sed ne pro totius quidem orbis imperio adipiscendo, tam crudele atque detestabile facinus permittu-

missurum. Dii melius, quàm ut ejusmodi scelere veram, ad quam tantopere elaboras gloriam, lædas atque contamines. Simili quodam modo respondisse dicitur exsuli Florentino, Cosmam Medicen occisurum pollicenti, si XXX non amplius militum manu à Rege juvaretur: Longè quidem acriores atque ampliores hostes sese & habuisse & habere, quàm Cosmas esset, morte quorum vel regna consequi se quidem potuisse, sed abstinuisse à scelere: iret igitur, & referret pòst deinde meliora. Panorm. lib. 2. c. 31.

XIV. JUSTITIA.

1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sapient. 1. 1.*

Principes, qui justitiam non colerent, iis perfimiles sibi videri dicebat, qui morbo caderent comitali. Nam cum animæ materia sit sola justitia, qua tenetur ad vitam; teste Lactantio: quid restat principibus, sublatâ justitiâ, hoc est, sublatâ vitæ nutritione & cibo, nisi caducarios videri. Panorm. lib. 1. cap. 55.

2. *Iustitia reddit regna felicia. Lips. monit. & exempl. lib. 2. c. 9. Ex iustitia populus bene atque beatè est. Homer. authore Lips. d. l.*

1 Alphonſi juſtitie clariffimum tibi argumentum ſit, quod univerſum Neapolitanum regnum, quod nunquam antea auditum eſt, à latronibus purgatum videmus, ut quoquo verſum iter agas, cum auro, quod ajunt, manu prætenſo, die noctuque tutò proficiſcaris, quamvis ſolus & inermis. Pan. lib. 4. cap. 7.

2 Jacobus Marchio Badenſis, ubi latrocinium in ditione ſua commiſſum didicit, vocatis iis, qui damno affecti fuiſſent, tantum eos ex fiſco ſuo accipere juſſit, quanti eſſe, quæ amiſſent, jure-jurando affirmaveſſent. Exinde latrones inſecutus apprehenſos in rotam ſuſtulit. Id eſt ſupplicii genus apud Teutonicos formidabile. Atque ita brevi pacatiſſimam provinciam reddidit. Æn. Sylv. l. 4. c. 7.

3. *Princeps ipſe decorè & utiliter juſ dicat, ſed aliquando: id eſt, vel certis temporibus, ut id ſciri poſſit: vel in cauſis gravibus, ſive atroci-*

atrocibus : vel denique contra potentes aliquos & partibus graves. Lips. monit. & exempl. polit. l. 2. cap. 9. q. 1.

1 Veneris quadam die pro tribunali sedentem Alphonsum vidimus, pauperibus tantummodo jus dicentem. Cur ita ? ut tantæ majestatis præsentia (quam pauperrimo cuique adire facile liceret) abstineant potentiores ab tenuiorum injuriis & offensis, ac jus suum cuique & habere & possidere fas sit. Panorm. lib. 1. c. 20.

2 Dissimilem ex Ducibus transalpinis unum novimus, qui singulis diebus venientibus rusticis facile præberet aditum, non quidem juris dicendæ aut administrandæ justitiæ cupiditate; sed ut munuscula ipse tolleret, quæ ad curiales deferiebantur. Nec tres duosve nummos, quos vocant Bohemicales, è manu pauperis auferre verebatur. Æn. Sylv. l. 1. c. 20. Non tantum fordidè, sed omninò injustè. Verum immensæ opes ejus non pervenerunt ad tertium hæredem; ut stet, opinor, vulgatissimum verbum:

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

D 5

Post

Post aliquot enim annos sub Cæsare Maximiliano vidimus eas majorem in modum attenuatas, dissipatasque. Spig. ad d. l.

4 *Curandum est principi, ut lites non solum pauca, sed & breves sint. Vide Lips. monit. & exempl. pol. lib. 2. cap. 10.*

Ars Rabularia, & Rabula ipsi, ex re-publica vel tollantur, vel coërceantur. Althus. polit. cap. 29.

Cùm accepisset Gallum Medicum, acutissimi quidem, sed avarissimi ingenii Sophistam, relictâ Medicinâ, ad causas agendas sese convertisse, forumque omne sophismatibus involvere; illum foro prohibuit, decreto edito, ut omnis lis, quam Gallus patronus susci-peret, ipso jure haberetur iniqua & injusta. Pan. l. 4. c. 38. Ms. 42.

5 *Princeps supremus, cui jus est leges temperandi, potestatem habet poenam moderandi. Contzen pol. l. 5. cap. 10. §. 4.*

Pœnas legum pro ratione personarum semper clementia temperet. Ibid.

1 Cùm quidam stirpe illustris, quem
hic

hic honoris gratiâ non nomino, læsæ majestatis apud Regem delatus, facinorisque convictus, & majestatis reus esset, non sententiâ aliqua latâ, non scriptâ, ut solet, sed tacito quodam judicio in eum animadvertit, quo factò utrumque providit, & ne scelus impunitum remaneret, & ne generosa reliqua domus unius noxâ notaretur infamiâ. Panorm. lib. 2. c. 19.

2 Dissimilis Viitholdus, Dux Lithvanix, qui læsæ majestatis reos ursum pelle confutos, ursis, quos domi nutrierat, laniandos objiciebat. Cujus severitatem, ne dicam crudelitatem, ad eò provinciales extimuerunt, ut cum dixisset aliquando duobus pluribusve: *Ite ocius, ac laqueo vos appendite! nemo imperium recusaverit, auditusque nonnunquam sit, qui currens hortatus alios: eamus quàm properantes, dixerit, ne bilem domini commoveamus.* Æn. Sylv. lib. 2. c. 19.

6 *Rex justitiam in se & suis servet.*
Lips. monit. & exempl. polit. l. 2.
cap. 10.

Anastasius vetuit valere, quod rescriptum esset contra leges. L. ult. C. contra jus.

1 Præfides provinciarum ac judices omnes à Rege præmonitos scimus, ne quod decretum aut rescriptum, à se factum, servarent, nisi quod jure tantum & honestate niteretur. Interdum enim aut importunitate postulantium, aut ignoratione rei fieri, ut quidpiam contra juris sanctionem emanet. Propterea illud modò custodire ac ratum esse se jussisse, quod legibus probaretur; primam legem eam esse, ne quid contra legem, id est, contra rationem aut contra justitiam fieret. Pan. Mf. lib. 2. cap. 46.

2 Sic Antiochus tertius (Lipsius d. l. vocat Antigonom) scripserat civitatibus, ut si quid per literas juberet, quod adversaretur legibus, ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset. Spigel. ad d. l.

7 *Justitia severè administranda.*
Lips. monit. & exempl. polit. c. 9.
monit. 1.

Illud graviter & justè dictum in equitem quendam prodigum vel in primis recenseamus. Quibusdam à Rege magnoperè petentibus, ne saltem in corpus lueret debita, quæ ille plurima per
luxum

luxum libidinemque contraxerat: respondisse ajunt, equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudisse, quinimo substantiam suam omnem corpori indulsisse: in corpus igitur lucre æquius esse. Pan. lib. 1. cap. 2.

8 *Iustitia subtiliter interdum vel sagaciter inquirenda. Lips. mon. & exempl. Polit. l. 2. c. 9. monit. 3.*

1 Alphonso adhuc adolescente, post sanctissimi ac optimi patris obitum, regnorum ac publicæ salutis gubernacula suscipiente, accidit, uti cujusdam servula ex domino prægnans facta, mox pariens ad libertatem proclamaret, ex lege Hispaniensi, quæ est: *Serva, quæ ex Domino liberos suscepit, libera esto; Dominus autem veritus servam amittere, negabat ex se filium procreatum, ratus hoc pacto se servam non amissurum, & filium simul habiturum. At illa acrius instare & natum ex domino conceptum asseverare. Erat sanè difficilis probatio & conjectura veritatis. Sed in ancipiti, Alphonso*

prudencia jam inde ab adolescentia statim resplenduit. Etenim decrevit, ut infans sub licitatione venundaretur. Cùmque & uni alicui, qui majus precium attulisset, infans tradi assimularetur, pater pietate victus à lacrymis temperare nequivit, & suum esse filium falsus est. Quare Rex & patri filium, & servæ libertatem, non cunctanter adjudicavit. Panorm. l. 2. c. 39.

2 Homini agresti, qui ad nundinas Novæ civitatis Austriæ venale triticum advexerat, dum parumper ad caupones divertisset, equorum alter ex biga subtractus est. Furti querela ad Fridericum Imperat. defertur. Jubetur actor reum nominare. Is sibi de furto constare ait, in civitate regia facto; furem se penitus ignorare. Hærentibus in conjectura consiliariis, si fortè in suspicionem quisquam veniret: Mirum, inquit Fridericus, cur etiam alterum equum homo non perdidit, tot sunt hodie in hac urbe equites, qui equis indigent. Tum rusticus, equa est altera, o Cæsar, quæ belligerantibus nulli est usui. At qui ergo, ait Cæsar, ei insideto, atque in omnes urbis viculos discurreto. Subtractus equus in aliquo
sta;

BONI PRINCIPIS.

stabulo latitat, qui cum jugalem equam fenserit, mox hinnitum dabit. Paruit homo, coque pacto furtum comper- tum est: agrestis, quod suum erat, recu- peravit; fur poenas dedit. Omnes igitur qui juri dicendo præsumunt, non tan- tum justos, sed etiam prudentes & per- acutos esse decet. *Æn. l. 2. c. 39.*

XV. GRATITUDO.

*Est animi ingenui, cui multum de-
beas, eidem plurimum velle debere.*
Cic. 2. Fam. 6. Epistolâ.

*Itaque gratus sit princeps; sed ita lar-
giatur, ut neminem sibi formidan-
dum efficiat: citò, honorificèque
donet, & firma & speciosa. Con-
tzen Polit. lib. 3. c. 8. §. 6.*

1 Neapolitani cives ob virtutem ac clementiam Alphonsi cum decrevissent uno consensu omnes, arcum illi trium- phalem ad memoriam magnificè stru- ere, elegerunt locum super gradus marmoreos majoris ecclesiæ. Id verò quandoquidem fieri non poterat, nisi magna ex parte dirueretur Nicolai Ma- riæ Buzuti, magnanimi & strenui mili- tis, domus; Rex id fieri omninò prohi- buit:

buit: Haud tanti se facere, inquiens, hujuscemodi saxorum struem, ventis, imbribus, fulminibusque obnoxiam, ut amici veteris & familiaris domum, cujus opera in bellis & pace atque omni fortuna fortiter ac fideliter usus fuerat, everti pateretur. Pan. l. 1. c. 50.

2 In expeditione (qua Isclam cepit) hoc contigit, quod, cum victoriæ compos, Diis gratias acturus, ad litus, ubi templum exstat Mariæ virginis, trajiceret, scapha, nimio pondere regionum pressa, subsedit, Rege usque ad vada ima delapso, nandi penitus ignaro. Cumque ope Cajetani cujusdam ab imo redditus fundo, mox sese collegisset, dixisse fertur, non parvo magna constare. Tum adjutori ipsi, ultimæ sortis homuncioni, salarium annuum constituit, pariter & filiabus quinque dotem dedit. Pan. l. 2. c. 22.

3 Lupo Simonino, quod ejus operâ in bello Neapolitano viginti annos fideli pariter ac forti usus esset, id quod magnanimum & generosum virum appetere intelligebat, summos quosque honores, novosque & amplissimos magistratus Rex contulit. Siquidem eum proregem aut, si mavis, præsidem Sicilia,

ciliæ, similiter & in toto regno Neapolitano, quod antea nulli alii contigerat, fecit, seque alterum appellari iussit, exemplo, uti ego arbitror, Alexandri in Ephestionem. Gratitude quidem & officio neminem unquam se vincere passus est. Pan. l. 3. c. 13.

Arrianus est autor, cum Alexander devicto Dario ejus tentoria cum solo Ephestione reviseret, ubi regię mulieres fuerant, uxorque Darii obviam procedens Ephestionem pro Alexandro adoravisset, quod forma majore & augustiore visus esset, cumque ille repulisset, atque regem ostendisset, Alexander ait, eam non errasse, sed & illum Alexandrum esse. Spig. ad d. l.

4 Pipponem Florentinum ex domo Stroziorum, qui cum plurima bella fideliter feliciterque confecisset, adeo Sigismundus Imperat. apud Hungaros magnificavit, ut secundum illius regni caput omnes faterentur, plerique primum putarent. Dixisse quoque Sigismundum aliquando ferunt: Facile Pippo, si velit, scipione in manum meam dato, regni fines egredi me solum ac nudum videbit. Æn. Sylv. l. 3. c. 13.

5 Cùm esset Rex cum exercitu Tyburi

buri, redditæ sunt ei literæ ab inclyto illo Mediolanensium duce Philippo Maria, in hanc ferè sententiam. Philippus Alphonso salutem. Ardeo equidem cupiditate incredibili, ad me unum aliquem è tuis interioribus aulicis mittas, fide ac probitate quàm maximè spectatum, qui cum eâ fiduciâ de rebus arduis loqui liceat, ac si tecum coràm locuturus essem. Vale. Ex omnibus Regem Ludovicum Podium delegisse scimus. Hic cum & literis manu Regis scriptis & signis secretioribus ad Philippum accessisset, primum jurejurando à Philippo adaçtum esse, ne quicquam eorum, quæ auditurus esset, proferret. Deinde, ut Regi quàm citissimè renunciaret, sibi propositum esse utiq; fixum & immutabile, Regem ipsum ex asse hæredem facere, ipsique Putio in præsentia tradere paratum esse Regis nomine civitates, opida, atque arces omnes, quæ quidem regionum militum præsidio, qui in Gallia Cisalpina per id tempus sub Raimundo Buillio Regis duce militabant, per quam opportunè custodiri possent. Tum magistratus, tum judicia, tum ærarium, tum introitus omnes penes ipsum Regi resignaturum;

turum; sibi dumtaxat arcem Jovis & Papiæ in adventum Regis reservaturum, & has quoque requirenti Alphonso traditurum; nihil omnino sibi, adveniente Rege, nisi Papiæ reditus, retenturum. Hæc cum Putio majora esse, quam ut in præsens per se transigi posse viderentur, ex Philippi quoque sententia ad Regem magnis itineribus contendit, Regique omnia, ut gesta erant, enarravit. Rex primò rei novitate admiratus, indoluit Philippi vices, quem honoris gratiâ patrem appellare consueverat: quandoquidem illum Venetorum armis oppressum, ita de regno suo instituisse arbitraretur. Deinde ipsi Ludovico respondit: Etsi Philippi regnum atque fortunæ amplissimæ & locupletissimæ sunt, non se quidem ambitionis, sed gratitudinis causa illi auxilium præstare paratum esse. Scire se omnia sua & vitam ipsam Philippo debere: Sibi itaque Philippus haberet & civitates & bona sua: se quidem opinione celerius ex Tyburi Mediolanum cum exercitu ultrò advolaturum. Jussitque tandem, ut Purius quàm celerimè rediret, Philippumque ad bonam spem sui adventûs exhortaretur. Interim

rim forti & constanti animo illum esse oportere, ac cogitare potius, quomodo Venetorum bona distribuat, quam quomodo sua ipsius aliis largiatur. Sed quoniam sciret Philippum naturâ suspiciosum esse, mandatis adjecit, uti per omnia tandem Philippo consentiret, proque illius voluntate omnia diceret ac faceret. Se quidem mox præsentem, quicquid egissent, in melius non sine Philippi laude & lætitia reducturum. Et hæc quidem à duobus prudentissimis principibus parabantur. Verùm ego compertum atque exploratum habeo, cum reliquis ferè omnibus, tum vel maximè principibus rerum futurarum à Deo prorsus ademptum arbitrium, spesque & cogitationes mortalium vanas esse. Dum enim Ludovicus præmissus acceleraret, Rexque ipse proficisci pararet, Philippus mortem obiit, Alphonso hærede instituto. Quo nuncio incredibili quidem dolore Rex (alioquin excellenti animo) consternatus est, quod videlicet gratitudinis, liberalitatis ac virtutis materiam sibi præreptam in Philippi benefactoris interitu sentiret. Pan. l. 3. c. 26.

6 Philippus ille inclytus Mediolanen-

nensium dux cum fœdera, inter se &
 Regem inita, sese forsitan neglexisse
 animadverteret, ac proinde indigna-
 tum Regem atque immutatum suspi-
 catur, statuit ad eum certos oratores
 mittere, Guarnerum Castilioneum ju-
 risconsultum, Franciscum Laudrianum
 & Antonium Pisaurensem, qui, vide-
 licet, ipsius mentem ac propositum
 scrutarentur, simul & conditiones, in-
 ter Regem & Ducem ipsum in Gallia
 conventas, à quibus Rex liber & solu-
 tus, Ducis culpâ, videretur, denuo
 confirmare ac renovare summopere
 anniterentur. Hi verò cùm hac de re
 argutissimam orationem habuissent,
 Rex Philippi suspitione, timoreque de-
 prehenso, primùm illos bono animo
 esse jussit, dein se eodem animo atque
 observantia in Philippum patrem, qua
 fuerit olim, cùm ab illo digrederetur,
 esse respondit. Nec posse unquam Phi-
 lippi errata, si modo aliqua sunt, se à
 proposito, semel suscepto, deicere;
 placere sibi conditiones & fœdera, ea-
 dem illa perpetua fore. Quoniam be-
 neficia ejus erga se perpetua essent, &
 petire neutiquam possent, quippe quæ
 velut res divina quotidie sibi obversa-
 rentur

rentur ante oculos, sequeretur voluntatis & gratitudinis suæ nuncium allaturum fuisse Mediolanum, si iter bellis usquequaque infestum non esset. Bellum præterea Neapolitanum non tantâ pertinaciâ gessisse, quod regna alia sibi deesse viderentur; sed ut captum pacatumque Philippo benefactori in aliquam beneficiorum compensationem traderet. Certè, ut ostenderet, se non minorem voluntatem in tribuendo, quàm Philippum in conferendo habuisse; itaque non solum pacta, olim conventa, firma & inviolata perstare, Philippo referri, sed regnum Neapolitanum etiam deferri ultrò jussisse. Pan. lib. 4. c. 45. Mf. 49.

XVI. TEMPERANTIA IN GENERE.

Turpe nimirum valde esse dicebat Alphonsus, cum aliis imperare, qui sibi met dominari nesciret. Pan. l. 2. 50.

XVII. CASTITAS.

*Castitatem princeps extra connubium
& in eo pro parte servet. Lips. mon.
& exempl. lib. 2. c. 17.*

I Pul-

1 Pulchritudinis amator cum esset, nimirum juxta Chrysippi sententiam putabat pulchritudinem esse virtutis florem: nunquam tamen licentiâ, aut contumeliâ, in ætatem alicujus est usus. Pan. l. 2. c. 53. Ms. 58.

2 Ab ore Alphonsi nunquam omnino verbum obscenum excidisse scimus; nunquam interiora membrorum ejus quempiam vidisse: nunquam jurasse, nisi per ossa patris; & id quidem rarenter, & ob causam. Panorm. lib. 4. c. 41. Ms. 45.

3. Nec quisquam unquam Cæsarem Maximil. jurare audivit, obscenumve verbum excidere ab ore ejus. Totus virgineus facie, linguâ, moribusque fuit. Sed tamen affabilis, facetus, urbanus, jucundus, & apertus erga eos, quos in arctiorem familiaritatem selegerat. Spigel. ad d. l.

XVIII. SOBRIETAS.

1 *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas: ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutant causam filiorum pauperis. Proverb. 31. 4.*

Ita-

*Itaque sit hac lex : Princeps , senatus
sobrius esto, principumque ministri.
Contzen polit. l. 3. c. 15. §. 18.*

1 Vini autem omninò expers vixit, aut eo quàm dilutissimo usus est. Eaque abstinencia emanavit, ut pleraque regum exempla, ad curiales ac regiones propè omnes, potissimum cum eos sæpe admonens afferret Alexandri Macedonis gloriæ plurimum obfuisse vini intemperantiâ: tum illud frequenter usurparet, sapientiam vino obumbrari: neque illud minus ebrietatis filios esse, furorem & libidinem. Panorm. lib. 2. c. 7.

2 Fridericus imperator extra cœnam nunquam utitur vino. In cœnale-
tissimum bibit, & id aquâ perdomi-
tum. Leonoræ Augustæ, quæ pater-
na in domo nunquam vinum gustasset,
suadebant Medici in Germania regione
frigida, si mater fieri vellet, vinum bi-
beret; quod cum accepisset Fridericus,
me vocato, abi, inquit, atque impera-
trici dicito, sterilem me conjugem,
quàm vinosam malle. Proinde, me si
amat, vinum oderit. Ad id nuncium
Leonora: Etsi viri jussioni tam liben-
ter parco, quàm vivo: si tamen vini
usum

usum mandaverit Imperator, mori ostaverim, quàm parere. *Æn. Sylv. lib. 2. cap. 7.*

2 *Imperatorem, jejuno milite, edere aut bibere non decet. Spig. ad Pan. lib. 3. c. 45.*

1 Jacobo Caudolæ summâ ope & diligentîâ transmittere Vulturum amnem annitenti, & parte jam magnâ exercitûs trajectâ, Rex obviam fit, retrocedentemque cum subegit, haud parvâ ejus militum parte in fluvium præcipitatâ, magnâ etiam captâ, reliquâ in Moronem opidum per fugam receptâ. Quo peractô, Regem eò loci cum exercitu sine tentoriis, sine commeatu aliquo, siquidem ex insperato advenerat, pernoctare oportuit. Eâ nocte satis constat, equis diem totam defatigatis, tantum silices pabulum fuisse, exercitum sub dio jejunum permanisse. Cumque & Johannes Efernitanus, Alphonsi studiosus, raphanum unum, & item panem unum cum dimidio cascoli Balearici, Regi misisset, recusavit; non decere, inquit, imperatorem jejuno exercitu mandere. *Pan. lib. 3. cap. 45.*

E

2 In

2 In eo proelio, quo Ottacarus Bohemiarum rex occisus, cum siti laboraret exercitus, ferunt agresti, qui messoribus potum ferret, ablatam hydriam, siceram plenam, atque Imperatori Rudolpho oblatam: quam cum ille vidisset: Reddite, inquit, homini vasculum suum; nam ego exercitui, non mihi sitiebam. *Æn. Sylv. l. 3. c. 45.*

3 Lyfimachus sitis impatientiam fractus, & se & exercitum turpiter dedit. Itaque factus is jam captivus: O Dii, inquit, quam brevis voluptatis gratiam me ex Rege servum feci. *Spigelius ad d. l.*

XIX. FRUGALITAS.

Regibus pro reditu sumtus metiendi.

Spigel. ad l. 3. Panorm. c. 16.

Alioquin opulentissimi etiam Reges, dum profundunt sua, dum nullam facultatum rationem habent, ipsi quoque eò devenire aliquando solent, ut exinanito arario, rei familiaris angustiis pressi, ad ea, quae non conveniunt, amplectenda cum consilia tum facta prolabantur.
Spigel. ad Æn. Sylv. l. 3. c. 16.

1 Ma-

1 Maxima cura intentum Regem ad exsolvendum levandumque sese ære alieno nuper vidimus, memorem, uti ego arbitror, dicti illius, litis atque æris alieni comitem esse egestatem. Per bellum etenim Neapolitanum quinque & quinquaginta millia super quinquies centena aureorum mutuo contraxerat, à quo debito, dum proderem hæc, propè liberatum vidimus. Ac proinde respirantem, & meritò lætum dicere: Regibus, qui pro reditu sumtus metiuntur, bona omnia cedere, amari à civibus, non metui, cives ipsos à suspitione novorum munerum levatos, alacres agere, suaque bona ostentare, ac denique principis vitam votis supplicisque expetere. Pan. lib. 3. c. 16.

2 Johannes S. Angeli Cardinalis, natione Hispanus, cum in Austriam sedis Apostolicæ legatus venisset, cognovissetq; Friderici Cæsaris qui reditus & qui sumtus essent: Rumor erat, inquit, Fridericum ad rem nimis attentum esse: at meo judicio perliberalis est, qui facultatibus sumtus metitur. Cæterùm Sigismundus & Albertus, qui ante eum imperarunt, Bohemiæque & Hungariæ ditissimis regnis præfuerunt, propemodum

dum prodigi principes largitatem ejus obfuscant. Æn. Sylv. l. 3. c. 16.

XX. EXERCITATIO ET RELAXATIO.

Princeps remissum aliquando animum, nunquam solutum habebit. Ex Senec. cons. ad Polyb. Lipsius civil. doct. l. 2. c. 6.

Venatio, inquit Albertus Imperator, Ladislai pater, exercitatio virilis; saltatio, muliebris. Æn. Sylv. l. 4. cap. 29.

1 Alphonfus cùm aliquando laxare animum à negotiis vellet, non se quidem abdidit, ut plerique, neque saltatus, neque convivia, neque ludos aliquos exercuit; sed venatione plurimum usus est, qua, ut Lycurgus tradidit, non solum adolescentes, sed grandiores etiam natu, militiæ labores tolerare pulcherrimè condiscunt. Nec tamen (quod miratu maximè dignum est) aut venationes, aut amores, aut denique voluptas aliqua Alphonsum unquam à negotiis remorata est. Pan. lib. 4. c. 29. Ms. 32.

2 Audivimus à Rege, cæcum naturâ

turâ Agrigenti adhuc vivere, quem sæpenumero ducem venationis habuisset, monstrantem his ipsis, qui oculis cernerent, ferarum saltûs ac latebras. Sed & id de cæci hujus ingenio atque industriâ mirum adjecisse: Nempe habuisse hunc aureos fermè quingentos, deque his valde sollicitum statuissè in agro defodere, defodientem à vicino ejus compatre conspectum, eoque abeunte pecuniam ablatam. Cùm verò paucis pòst diebus thesaurum reviseret, neque invenisset thesaurum, animo angî, discruciarî, exedi, neque alium conjecturare, nisi vicinum compatrem surripere potuisse, accessisseque ad illum atque dixissè: esse quod consulere cum oporteat; tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstruissè jam in tuto loco, de reliqua autem dimidia anxium esse, utpote cæcum & rerum perquàm incommodum custodem; propterea si ei quoque visum fuerit, hoc reliquum in eodem loco illo tuto quidem trudi & abstrudi posse: compatrem approbasse consilium, ac properè præcurrissè, quingentosque aureos, unde nuper effoderat, recondidissè, ratum totos mille mox sibi ne-

quaquam defuturos. Posthæc cæcum in agro revivisse, repertaque pecuniâ compatrem appellando exclamâsse: Cæcum oculato meliùs vidisse, lætumque rediisse. Cæterùm verò admonitum Regem, eos Imperatores maximè laudare, qui eos, qui oculum præliis amisissent, coronatos milites suosque Hannibales appellarent. Pan. lib. 3. cap. 23. Ms. 22.

3 Faciebat interdum Alphonsus manu balistæ sagittas quatuor passibus quadraginta, refixas in suum quamque foramen iterum jaciens remittebat, easdem confixas tertiò jaciens singillatim in postremam partem feriendo distinguebat. Pan. l. 4. c. 46. Ms. 50.

4 Qualis fuerit Alphonsus juvenis, ipsa nunc ætas major ostendit; quem sæpe veloci insidentem equo persequi feras, ac nunc apros, nunc cervos jaculari vidimus, suâque manu sternere. Quæ opera in tanto Rege strenuitatis magis, quàm prudentiæ censemus. Nam vitam, in qua tot populorum vita consistit, sine magna causa periculis objectari nolim. Æn. Sylv. lib. 4. cap. 46. Ms. 49.

XXI. DE SALTATIONE.

Nemo ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit. Cic. pro Murena.

1 Scipionem irridere solitum Regem accepimus, quod saltatione animum relaxaret: Saltatorem ab insano nihil differre, inquentem, nisi quòd hic, dum saltat, ille dum vivit, insanus est. Qua ex causâ Gallos potissimum leves esse, qui quò magis ætate provecti essent, eò magis saltatu, hoc est, insanâ sese oblectarent. Pan. l. 1. c. 45.

2 Dicentem sæpenumero Fridericum Cæsarem audivimus, malle se feбри teneri, quàm saltationi operam dare. Æn. Sylv. l. 1. c. 45.

3 Arguebatur aliquando Rex, quòd, cum à saltatione tantopere ipse abhorreret, in adventu tamen Friderici Imperatoris tertii cum ipso Imperatore & Leonora Augusta saltitare propalàm visus esset. Et is quidem cum argueretur, eum se expurgantem audivimus; Non voluptatis gratiâ se saltare, imò, id sibi nequaquam probari, cæterùm in honorem Imperatoris & Augustæ id factum à se. Plurimum namque referre, quemadmodum res fiat. Siquidem luxuriæ

aut lasciviæ causâ qui saltet, stultum aut ebrium videri: sin honoris alicujus gratiâ, reprehensionem effugere, neque esse insanum, qui cum magnis viris semel infaniat. Panorm. l. 2. c. 60. Ms. 64.

Bernhardus, Monachorum pater, abstinentiæ præcipuus magister, cum aliquando, advenientibus hospitibus, extra ordinem coenasset, idque discipuli crimini darent: Non ego, inquit, sed charitas bibit, editque. Æn. Sylv. l. 2. cap. 60. Ms. 65.

XXII. JOCUS ET URBANITAS.

Nec id vitio dandum existimo, risus nonnunquam relaxare animum, curis fatigatum; modo risus sit argutus, ac liberalis. Erasmi. in Epist. dedic. præfixa Apophthegmatis.

Sigismundus Imperator, qui jocos moderatè ferrent, sapientes dicere solitus erat; qui promptissimè jocarentur, ingeniosos. Æn. Sylv. lib. 4. cap. 27.

Alphonfus cùm esset admodum facetus & urbanus, mirari tamen magis licuit, quo animo, quaque moderatione
ipse

ipse aliorum sales pertulerit, quamque
& quomodo ipse jocos protulerit. Pan.
lib. 4. c. 27. Ms. 29.

1. In Regum molestias.

Cum inter cœnandum à difficili &
importuno quodam sene usque ad eò
interpellaretur, ut vix edendi potestas
esset, subclamasse dicitur: Asinorum
conditionem longè meliorem esse,
quàm Regum; illis quidem comedenti-
bus dominos parcere, Regibus nemi-
nem. Pan. lib. 1. c. 13.

Si sine literis esset Alphonfus, liceret
cœnanti sibi, ut asino coronato, quie-
tem expetere. At docti Regis nullam
vitæ partem quietam esse fas est, nisi
quam sibi somnus vendicat. Æn. Sylv.
lib. 1. cap. 13.

2. In usum regiarum manuum.

Cùm Regiæ bibliothecæ custos ob-
serata libraria abesset, Rexque ipse, le-
gendi percupidus, forcipe seram excu-
teret, intervenit Matthæus Siculus, exi-
miæ ille sanctitatis sacerdos, dixitque;
Tu-ne id, Rex magne, manibus pro-
priis! tu-ne? Cui Rex subridens, quæ-
so, inquit, vir sancte, numquid Deus &

natura nequicquam regibus manus dederunt. Pan. l. 2. c. 37.

3. In Aulicos.

Navigabamus ex Sicilia in triremi ipsa prætoria cum ipso Rege nonnulli, quos singulatim ille comites delegerat, quibus mos erat manè Regem in puppi officii causâ salutare: & offendimus eum aliquando demirantem garrias aves triremem circumvolantes, attentasque, si quis bolus triremi decideret, certatim illum arripere, quæque arripuisset, celeriter illam aufugere. Hæc contemplans Rex, mox conversus ad nos ait; Perfimiles sunt his garriis purpurati & curiales aliquot mei: simulac enim aliquod officium aut beneficium dimicantes invicem à me acceperint, profugiunt. Panorm. lib. 1. cap. 4.

4. In curiæ Romanæ Harpyjas.

Harpyjas legebamus insulas incolere consuetas, cùmque insularis quispiam id ægrè ferret, dixisse scimus Alphonsum: Non est, quod frontem obducas, ô amice. Ex insulis enim in curiam Romanâ commigrâsse Harpyjas comper-

pertum est, ibique jam domicilium constituisse. Panorm. l. 1. c. 8.

Harpyjas arbitror fuisse quàm plurimas. Nam curiam ego adhuc nullam hisce avibus vacuam vidi. Æn. Sylv. lib. 1. cap. 8.

5. In Neutrales.

Alphonsum, cùm is audisset Senenses, qui à bello Italico medii exstitissent, in neutram partium inclinantes, postea sedato bello dimissorum militum prædam esse, dixisse ajunt: Senensibus evenisse, quod his solet, qui mediam domum incolunt, ut ab inferioribus fumo, à supernè habitantibus urinâ vexentur. Pan. l. 4. c. 23. Ms. 24.

6. In quærentem uxorem fugitivam.

Hos maximè insanire dicebat, qui uxorem à se digressam, fugitivamque perquirerent. Pan. lib. 4. c. 8.

7. In habentem uxorem deformem.

1. Crisponius jurisconsultus cum trecentos aureos Alphonseos, quod supererat dotis, furto surreptos perdidisset,

set, ac propterea animo angeretur, & esset sibi viva adhuc uxor, & illa quidem admodum deformis, dixisse perhibent Regem: Longè illi melius, si uxorem, quàm pecuniam fures abstulissent. Panorm. lib. 1. c. 27.

2 Hugoni Senensi, quem nostra ætas Medicorum principem appellavit, uxor fuit nomine Ladia, ex familia Sozinorum, in qua frequens virtus, forma rara. Hanc Hugo, quod deformis esset, Ladium bonam vocitare solebat; atque omni patrimonio privari, quàm conjuge maluisset. Itaque potest amari deformis uxor; mala non potest. Crispini fortasse conjugi nec morum suavitas, nec forma fuit. Æn. l. 1. c. 27.

8. In eum, qui uxorem mortuam lugebat.

1 Cùm aliquando Rex Ludovicum Podium, Putium appellatum, in veste lugubri, fronte subtristem intueretur, & quid sibi vellet luctus ille, sciscitaretur; ac Putius, ob uxorem mortuam moestum se esse, respondisset: adjecit, lætum potius atque hilarem esse eum convenire ob illius mortem. Nam si cognata mortua esset, fratrem ejus à mor-

mortuis suscitatum esse. Erat enim mulier illa intractabilis, difficilis, & viro, dum vixit, admodum molesta, & infesta, ac mariti propè mors quædam. Panorm. lib. 3. c. 6.

2 Gregorius Hanniburgensis, scientiâ juris ac facundiâ inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ex curia Cæsaris, in qua diu fuerat versatus, revertisset, atque non longè ab opido Norimbergensi amicum offendisset, qui uxorem suam vivere & bene valere diceret: Si vivit uxor, inquit, ego obii. Æn. Sylv. l. 3. c. 6.

9. In homines obtuso ingenio.

1 Admisit in colloquium, ac patienter audivit ipsos etiam secordi ac obtuso ingenio homines. Audiens verò illos, subinde oculos ad eos conjicere solitus erat, quos probè norat, ingenia ac sensa hominum percallere, Ennianum illud levi voce submurmurans: Vulturis in sylvis miserum mandebat hominem. Bellissimè enim non homines, sed homones, Ennium appellasse eos, dicebat, quos vidisset ex homine nihil præter effigiem possidere. Pan. lib. 1. c. 54.

2 Ennius si plerosque nostri seculi Reges contemplatus esset, credo, non reges, sed regones appellasset: Ecclesiæ quoque prælatos, prælatōnes vocitasset; qui præter coronas & infulas, dignitati quod respondeat, nihil ostendunt. *Æn. Sylv. l. 1. c. 54.*

10. In falsò gloriantem.

Dicenti cuidam, sapientem virum tandem reperisse: Quomodo, inquit, sapientem dignoscere stultus potest? *Pan. lib. 3. c. 10.*

11. In Cajetanos insipidos.

Allatum est à Cajetanis quibusdam malè literatis, M. Tullii sepulcrum exstare adhuc juxta Formias in via Romana, vetustis literis inscriptum. Quod Rex ut primum accepit, lætitiâ penè perditus, ire nihil cunctatus est, & sentibus rubisque primò tumulum purgans, mox legere inceptans, non M. Tullii, sed M. Vitruvii epigramma esse comperit. Irrito itaque labore rediens, ac vultum risu solvens: Cajetanos, inquit, ex Minerva oleum quidem accepisse, sed sapientiam amisisse, *Panorm. lib. 1. c. 47.*

12. In

11. In Thraſones.

Homines , quos vanis ſermonibus impleri, & penè diſtendi intueretur, modò utres, modò veſicas appellabat, Pan. lib. 4. c. 17.

13. In terræ motum.

1 Cum legeremus aliquando Didonis Virgilianæ mortem, & inter legendum terra moveretur, atque ob id, qui aderamus omnes, improvifa & repentina re percuſſos Rex intueretur: Novum ne, inquit, vobis videtur, ſi in morte tam celebris reginæ terra intremiſcat. Pan. lib. 1. c. 32.

2 Apud Julianum Sancti angeli Cardinalem doctiſſimum atque integerriſſimum patrem Flavianiſ ſupra Danubium, cui civitati nunc Vienna eſt nomen, cum cœnarem, fuiſſetque de Baſilienſi concilio factus ſermo, & inter cœnandum terram moveri intueremur, diſcumberetque ſimul Joannes cognomento Amicus Agrippinenſium legatus, qui diceret, ſurgendum è menſa & in patentes campos abeundum: Bonο animo, inquit Julianus, ō amici eſtote, de Synodo Baſilienſi locuti ſumus, quæ

quæ omnem Ecclesiam tremefecit, non tamen illifit. Ita nec nos terræ motus iste confternaverit. *Æn. Sylv. lib. 1. cap. 32.*

14. In Iconopolam.

1 Jacobo Alemanno homini Christiano, sed Judæis orto parentibus, cùm is divi Johannis aureum simulacrum venale Regi exhibuisset, ac pro eo quingentorum aureorum precium postularet, ita respondit: Non tu sanè ineptus es, & majorum tuorum longè dissimilis, discipuli & servuli imaginem tanti æstimans, cùm illi Johannis ipsius magistrum, & dominum & regem Judæorum, triginta non ampliùs denariis vendiderint. *Pan. l. 1. c. 56.*

2 Coloniae Agrippinæ pictor quidam insignis, sed prodigus & piger, & amator vini, complures Christi imagines cauponibus pignori dedit, easque hoc pacto perdere, quàm vendere maluit. Interrogatus, cur non potiùs venderet: Ergo, inquit, me Judæum esse, quàm Christianum vultis? *Æn. Sylv. lib. 1. c. 56.*

15. In

15. In ebriosum.

Cum me legente aliquando Antonius Cathacensis antistes sese offerens efflagitaret, ut cum Regi commendarerem; atque ego idipsum jocando his verbis suaderem, quod hic ille bonus esset, qui nunquam vidisset Solem exorientem sobrius; subridens Rex adiecit: multò minùs hercule occidentem. Pan. lib. 2. c. 27.

16. In Ebriosum mortuum.

Cicchum vinarium inter utres & doctia vini Græci per vindemiam mortuum inventum, Regi cum renunciarent, sepeliri cum iussit, & hujusmodi distichon sepulturæ inscribi;

Hic situs est Cicchus, quem testas
inter & utres

Maçtaſti Græco palmite, Bacche,
furens.

Panorm. lib. i. c. 59.

17. In Saltantem.

Cum aliquando mulierem impudentiùs saltantem adspexisset, fertur ad circumstantes dixisse; Attendite, Sibylla

bylla quidem è vestigio edet oraculum. Panorm. l. 2. c. 56. Ms. 61. Sentiens saktationem insanix genus esse. Sibylla enim vates non edebat oracula, nisi furore correpta. Spigel. ad d. l.

18. In importunum petitozem.

1 Johannes Calaguritanus eques regius, ut primum ab hostibus carcere dimissus est, Regem adiit, & liberalitate illius nonnihil abusus, innumeras propè res simul & poposcit & impetravit. A quo Rex vix tandem divulsus: Mentior, inquit, ni inter tam multa & varia, quæ petebat, timuerim, ne uxorem etiam ipsam à me deposceret eques meus. Pan. lib. 2. c. 40.

2 Iacobus Archiepiscopus Trevirensis princeps Elector, vir industrius ac magni consilii, sed multum cupidus, & ad extollendam Ecclesiæ suæ potentiam nimis attentus, anno abhinc secundo, Fridericum Cæsarem apud Novam civitatem cum adiisset, & alia atque alia petens impetrasset, pluraque petendo instaret; Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego negandi principium inveniam. Æn. Sylv. lib. 2. c. 40.

19. In

19. In podagricos.

1 Alphonsum, cum quæreretur ab eo, quare podagrici loquaciores essent, ita jocatum accepimus: podagricos pedum vitio afflictos ambulare non posse; ideo linguâ, velut ambulatione quadam, eos crebrius uti solere. Adhæc non illepidè adjectum, Ennium cum podagrâ laboraret, tunc benè & copiosè poetari consueſſe. Pan. l. 3. c. 28.

2 Ennius Senensis, qui Ecclesiæ Grossitanæ præfuit, antequam Pontificatum accepisset, in Petrum de Monte Licino non incelebrem Astronomum, qui cum podagraretur, incidit, atque ab eo, dum alteram post alteram fabulam recitat, diu retentus, dum transeuntem notum quempiam vidisset: Age, inquit, ô amice, ausculta hunc podagricum. Nam meæ audiendo aures ambæ obtusæ sunt. Æn. Sylv. lib. 3. cap. 28.

XXIII. MODESTIA.

1. *Modestia tum in sensu, tum in vestitu Principi decora & utilis est.*
Lips. monit. & exempl. polit. l. 2.
cap. 14. & 15.

1 Illud

1 Illud silentio prætereundum non fuit, quod cum esset Alphonfus tot tantorumque rex regnorum, honore, gratiâ, opibus, potentiâ ac sapientiâ admirabilis; nunquam tamen aut jactantiâ, aut insolentiâ notari potuerit. Pan. l. 2. Ms. c. 55.

2 Alphonfus cum interrogaretur, quæ res Reges ac privatos, divites ac pauperes, claros & obscuros, denique omnes prorsus exæquaret, respondit; Cinis. Pan. l. 4. c. 26. Ms. 28.

3 Cum Lucas Medicus, vir discretissimus, orationem apud Regem habuisset, eumque exquisitis & heroicis quibusdam laudibus extulisset, ferunt finitâ oratione Regem dixisse: Si vera sunt, Luca, quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago: sin aliter, vera ut isthæc faciat, oro atque obsecro. Pan. l. 1. c. 3.

4 Baltasar Cossa, qui Pontificatum adeptus maximum, Iohannes tertius & vicesimus dictus est, sæpenumero supra modum laudatus, inquit: Quamvis e mentita esse scio, quæ de me præclare dicuntur; iis tamen vocibus me oblecto. Æn. Sylv. l. 1. c. 3.

5 Caji Cæsaris commentarios in
omni

omni expeditione secum tulit, nullum omnino intermittens diem, quin illos accuratissimè lætitaret, laudaretque & dicendi elegantiam, & belli gerendi peritiam: inertissimum se respectu Cæsaris prædicare nequaquam veritus, tametsi à nonnullis tum studiis humanitatis, tum militiæ scientiâ non in ultimis ipse reponeretur. Pan. l. 2. c. 13.

6 Proceres ac purpuratos suos à Rege reprehendi sæpe vidimus, quòd amicos paullò inferioris sortis suos servitores appellarent, maximè cum huiusmodi homines à Philippo rege non servitores, non subditos, ut ab istis; sed amicos & familiares, appellatos lætitasset. Pan. l. 2. c. 34.

7 Cœnantibus apud Angliam Prælati ac Baronibus, ministri flexis genibus officium suum faciunt. Apud Germanos, nec Imperatori, nec Regi tantum adulationis impendunt: prudentque prandente domino famuli, duobus tribusve, qui vel vina vel cibos apponant, expectantibus. Æn. Sylv. lib. 2. c. 34.

8 Cùm familiares nonnulli rusticum quendam, humi prostratum, uvas edentem, digito velut ignavum demonstrarent

strarent Regi: Utinam mihi, inquit, istoc otio comedere dii dedissent. Pan. lib. 2. c. 32.

2. *Regia dignitas non vestium splendore, sed prudentiâ ac ceteris animi virtutibus aestimanda.* Spigel. ad Pan. lib. 1. c. 24.

1 Alphonfus vestivit seipsum nitidè magis, quam preciosè, serico rarò usus aut ostreo paludamento. Spigel. ad proœm. Panorm. in lib. 4.

2 Scimus Alphonsum regem vestitu, cultuque corporis moderatè usum neque hac in re multum discrepasse à popularibus suis, illudque sæpenumero usurpare consuetum: cupere se moribus & autoritate potius regem videri, quàm diademate aut purpurâ. Panorm. lib. 1. c. 24.

3 Franci, quibus rex esset sola purpurâ & diademate conspicuus, illi crines totonderunt, & retruso in monasterium nebulone, autoritate Zachariæ Romani Pontificis Pipinum substituerunt, quem non vestis aurea, sed spectata inter bonos moderatio & autoritas regio culmine dignum fecerat. Æn. Sylv. lib. 1. c. 24.

§. Vera

XXIV. SINCERITAS ET FIDES.

1. *Vera ratio, nec vultum minio,
nec animum mendacio obtegentem
regem probas. Æn. lib. 1. c. 17.*

Parantem Regem triumphalem cur-
rum inscendere, non defuerunt, qui
admonerent, ut triumphantium more
vultum minio illiniret, quibus respon-
disse fertur: minium Baccho soli con-
venire, qui non solum triumphi, sed
vini etiam repertor exstitisset. Panorm.
lib. 1. c. 17.

2. *Fides virtus jure omnino cara sit
principi, cui sua aut publica res
cara. Lips. doctr. civ. lib. 2. c. 14.
Nam nulla res vehementius rem-
publicam continet, quàm Fides.
Cic. 3. offic. Lips. d. l.*

Convocato regulorum procerum-
que concilio Neapolim, non defuerunt
qui crederent, evocatos à Rege con-
trucidandos esse, siquidem id aliquan-
do eis, à superioribus regibus accersitis,
acciderat. Cæterum hi primò quidem
ab Alphonso perhumaniter accepti sunt,
deinde dissoluto concilio læti & inco-
munes dimissi, tum primùm sese verum
regem,

regem; ac patrem vidisse profitentes.
Pan. l. 3. c. 21.

3 *Verbum principis iusjurandi loco habendum. Turpissimum est omnino fallere; in regibus verò longè turpius. Spiegel. ad lib. 1. Panorm. c. 58.*

1 *Audiui sæpenumero Regem dicentem, tantum valere ad fidem debere principum verbum simplex, quantum privatorum hominum iusjurandum. Pan. lib. 1. c. 58.*

2 *Dicenti cuidam, addecere regem, non solum quæ promississet, sed quæ capite annuisset, etiam præstare debere; respondit: Rectè sanè! verum condecere quoque petentes, ut iusta & consentanea à regibus postulent. Pan. lib. 3. c. 3.*

3 *Exigenti promissa veterano militi cum diceret Sigismundus imperator: At immoderata fuit petitio tua? respondit miles: Poteras honestè negare, cum peterem. Nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris. Tum Sigismundus, si ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, quàm*

quàm famæ jacturam subibo. *Æn. Sylv.*
lib. 3. c. 3.

4. *Regium est, satius fidem servare,
quam compendium pecunia facere.*
Spigel. ad Pan. l. 3. c. 20.

*Fides nullâ necessitate ad fallendum
cogitur, nullo corrumpitur premio.*
Lips. lib. 2. doct. civil. c. 14.

1. Mediolanensibus à Venetis & à
Francisco Sfortia bello oppressis, auxi-
liumq; ab Alphonso magnopere postu-
lantibus, arbitratus est Rex, illis demum
benè consultum iri, si Ludovicum
Gonzagam, hoc ipsum affectantem,
mercede conduceret Mediolanensium
causâ. Quapropter Putio Podio manda-
verat, uti hoc nomine ipsi Ludovico
triginta millia aureorum persolveret.
Cæterum Podius, quoniam interim
Carolus Ludovici frater, qui sub Medi-
olanensibus merebat, occupata Lau-
dente & Crema ad Sfortiam transisset,
ac proinde, ne cum fratre Ludovicus
consentiret, addubitaretur, pecuniam
numerare superfedit, regemque per li-
teras admonuit, pecuniam, quamvis
promissam, in re tamen dubia nondum
numerandam, sed servandam potius

F

sibi

sibi videri. Cui Rex: majori sibi curæ esse fidem servare, quàm pecuniam, respondit. Quare Ludovico, utcumque res cederet, quod semel promississet, exsolveret, de bono & spectato viro perbellè semper, & præsumendum & sperandum esse. Pan. l. 3. c. 20.

2. Fridericus Dux Austriæ, Alberti Cæsaris filius, commissurus prælium adversus Ludovicum Bojarium, qui cum de imperio contendebat, quamvis accepisset Marchiones Brandenburgenses cum hostibus consentire; his tamen promissam antea pecuniam numeravit, alienam fidem accusare, quam suam requiri peroptans. Æneas Sylv. lib. 3. c. 20.

5. *Amicos probabis ex calamitate in vita & communicatione periculorum. Isocrates.*

Nemo est, qui non hanc affectionem animi probet atque laudet: qua non modo utilitas nulla quaritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. Cic. 5. de Fin.

1. Cum aliquando navali prælio Rex desperatis rebus, posset ex onerariis navibus in triremium suarum classem

sem facile evadere (etenim præfectus illarum Iohannes Efernitanus vir strenuus, qui profectò semper Regis voluntatem ac nutum observabat) noluit tamen in triremes descendere: sed ex navi sua primus in hostium navem transfiliit: seq; dedit, ratus id, quod postea effectu probatum est, ejus etiam capti auctoritatem, ad sociorum salutem, & liberationem plurimum valituram. Pan. lib. 3. c. 12.

2 Cum à Philippo Duce Mediolanensi victo regi Alphonso conditiones afferrentur, non prius illas recepit, quàm sociorum vitam cum hostibus pactus esset, nullam omnino vitæ aut salutis suæ mentionem faciens; præclarissimè secum agi existimans, si sua ipsius morte reliqui vel à morte servarentur, vel à captivitate redimerentur. Pan. l. 3. c. 37.

3 Captus jam & asservatus, Rex à Philippo illo inclyto Mediolanensium duce, cum audisset, quod statim mittendus & liberandus esset, renunciavit Philippo; quâs pro liberatione sua leges dicturus esset? Si quas modo dicturus esset, nullas omnino se recusaturum esse, præterquam si ab expeditione regni

Neapolitani desistere eum juberet. Malle se quidem in carcere vitam degere, quàm ab hujusmodi incepto dimoveri, tum ut constantiam in re semel susceptâ servaret, tum vel maximè, ne suarum partium regulos, qui secum captivi essent, deseruisse argueretur, Pan. l. 3. c. 46.

XXV. HUMANITAS.

- I.** *Humanitas vetat superbum adversus socios, vetat avarum: verbis rebus, affectibus comem se facilem-que omnibus præstat. Sens. Epist. 88. Humanitas maximum principis ornamentum. Contzen Polit. l. 3. cap. 11.*

1 Cùm audisset Alphonfus Iohannem, suavissimum fratrem meum, juvenem excellentis ac eximiæ virtutis, mortem obiisse, non solum sermone, sed consolatoriis ad me literis dolorem animi testatus est. Panorm. l. 4. c. 26. Ms. 27.

2 Quadam die cum corpus Domini summi & servatoris, Dei Jesu pedibus sequeretur (sic enim Regi mos fuit, sanctissimam eucharistiam reverentissimè, quo-

quocunque accederet, pedibus comitari) tandem deductus est in vetulæ domum, sanguinis profluvio penè exanimatæ, cumque ægritudinis causam cognovisset, continuo gemmam inæstimabilem, morbo illi mirificè accommodam, afferri jussit, anusque illius digito aptari, simul & corpus regum regis in templum, unde profectum erat, summâ veneratione reduxit. Paucis verò post diebus anus illa cum revaluisset: egit quidem pro recuperata salute Regi gratias, quales potuit: sed gemmam, quam Majestatem dicerent ejus sibi penè mortuæ commisisse, aiebat, sibi ne visam quidem perdidisse. Stomachari, qui aderant, cœpere, aniculam execrationibus & maledictis propalâ incescentes. Rex verò subridens: abi, inquit, mea mater, & cura tu valetudinem tuam: quoniam stulti quidem isti, ut vides, parum sanitatem suam curant. Pan. l. 1. c. 52.

3 Alphonso regi mos fuit, familiares, quos ipse alumnos suos appellabat, visitare ægrotantes, atque illos tum ad corporis valetudinem, tum multo magis ad animæ salutem exhortari. Quod cum sæpe aliâs, tum nuper acci-

dit in adversa valetudine Gabrielis Surrentini, suavissimi ac splendidissimi adolescentis. Nam cum graviter is jaceret, Rex pro sua consuetudine illum adiens, hujusce-modi ferè sermonem est orsus. Ut valeas, mi Gabriel, Medici quidem te extra mortis periculum esse affirmant, si modo illos obedienter audias: quod ut facias, te hortor atque etiam rogo, ne secus faciendo ipse tuæ mortis causa infameris. Et in Medicis quidem haud parvum præsidium vitæ est: verum in Deo multo majus ac certius. Is enim non vitæ modò, sed mortis etiam sanitas & salus est. Illum ergo inprimis ante oculos habeas, illi toto cogitatione adhæreas, qui te fecit, qui te à morte moriens redemit, qui te judicaturus est. Illum si quando offendisti nunc contritione, oratione, confessione, & sacris mysteriis tibi places, ac propitium reddas. Hæc cum feceris, & facies, scio, & quidem devotissimè, si bene pietatem ac constantiam tuam novi: hæc, inquam, cum feceris, illius te postea voluntati ac misericordiæ læto ac forti animo permittas. Solus enim quid nobis profuturum; contra, quid nociturum sit, prænoscit. Nec te timor
aut

aut potius opinio mortis offendat. Mors quidem bene puræque morientibus vita est. Hinc & dissolvi cupiunt, qui bene vixerunt & esse cum Christo, ut bene actæ vitæ præmium consequantur, lumen æternum. Et profecto mors vitæ principium est, atque ejusmodi vitæ, quæ neque doloribus, neque metui, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subiecta est, neque ipsi quoque morti quicquam obnoxia. Et si altius aliquanto repetamus, inveniemus, mortem nihil aliud esse, quàm peccandi finem. Nam cum Adam contra mandatum Dei in flagitium lapsus esset, ne vivendo culpa revivisceret, & in peccatis persisteret, ejus corpus, è terra factum, terræ Deus reddidit, non ut creaturæ, quam fecerat, sed ut peccato, quod creatura ipsa commiserat, finem imponeret. Deus igitur & principium & finis. Cum is vult, nascimur; cum vult, etiam morimur. Et sunt hæc quidem prorsus divinitatis ejus, nihil ad nos pertinentia. Illud vero tantummodò nostro reliquit arbitrio, ut benè rectèque vivendo bonum nancisceremur finem. Hoc itaque, quod unum nostrum est, id est, ut in Christo Domino moriamur, summâ ope adniti debe-

debemus? quod qui faciunt, non planè moriuntur, sed transeunt à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbationibus ad tranquillitatem. Non absurdè fortassis existimaverunt quidam, mortem non modò malum non esse, sed bonorum omnium maximum. Verum enimvero, quoniam neque evocationis diem neq; horam nobis scire datum est, perquam salutare fuerit, nos præparatos esse, cum Deo sentientes, & mandatis ejus obsequentes; nec diem differre tutum est, sed insipienter factum potius existimare. Plerosque enim vidimus summâ corporis incolumitate, viribus integris, nihil tale metuentes, morte repente interceptos: contra nonnullos usque ad Medicorum desperationem redactos, convaluisse. Ego quidem in præsentia, ut vides, sanus, integer, & validus sum, adde & tot tantorumque rex regnorum, opibus, potentiâ, existimatione fortassis non inter postremos: sed nunquid hæc profutura quicquam intelligam ad horam mortis dignoscendam? aut si intelligam, putem me vel temporis momento illi resistere aut repugnare posse? Minimè. Cum hæc igitur

igitur omnia in Dei potestate tantum sint, nihil nobis reliquum videtur, nisi ut cum Deo benè sentientes, ejus præceptis, ut diximus, tum in omni vita, tum vitæ termino maxime obediamus. Sed quoniam te verbis meis alacriorem aliquantò factum intueor, pergam te monere, & iis quidem monitis, quibus hæc brevis hora, non modò sine metu, sed cum gaudio quoque transigenda videatur. Credimus firmiter omnes, quòd Deus hominem fecerit ad imaginem & similitudinem sui. Nec cum fecerit, credimus corpus fecisse sui simile, sed inflasse illi spiritum, id est, animam ad similitudinem sui. id cum ita sit, quid nobis potest felicius accidere, quam dimittere luteum corpus, vitiorum sarcinam, & ad eum evolare & redire, qui nos ideo dignatus est ad similitudinem sui facere, quòd Spiritus noster, divino ipsius Spiritu repletus, divinitatis particeps & felicitatis ejus, agatur perpetuò inter angelos & sanctorum choros? & quoniam nos similes suū fecit, & simile appetat sui simile, oportebit lege naturæ. Naturâ ergo rapimur ad fruitionem Dei; ad quam tamen, ne id refugias, nisi morte migrandum est.

nemini. O ineffabile Dei benignitatem ! Dedit is, qui credunt in nomine ejus, vel Dei filios fieri posse. Et adhuc veremur mori, atque id statim facere, quod, velimus nolimus, quandoque facturi sumus ? Sanè nisi Deus id expresse vetuisset, non expectanda, sed consciscenda nobis mors esset, quò citiùs anima nostra perveniret ad patrem rerum omnium & factorem & dominum, quò simplicitatem, puritatem, æternitatem atque, ut ita dixerim, Deitatem recognosceret, & recuperaret suam in contemplatione rerum cœlestium, & consortio sanctorum. Quid nos itaque, non dicam, amplius mors, sed cogitatio mortis deterreat, à qua momento temporis absolvimur, & in qua aut nullus est sensus, aut certè brevis quidam efflatus; & is quidem æquanimirate lenior atque facilior ? Adeòne molles aut insolentes erimus, ut quod omnibus prorsus subeundum est iter, nobis unis haud esse subeundum arbitremur ? Adeò ne stulti atq; dementes, ut nobis naturam, non naturæ nos parere debere cogitemus ? At inquis, ego viridior è vita exeo in flore ætatis. Quid refert, obsecro, quàm citò quis exeat, si se-

si semel exeundum est? Numquid ne animadvertisti, quod quò magis crescimus, eò magis decrescit vita. Quamquam, per immortalem Deum, quid in hac vita potest esse diu? cum ipsa hominum etiam longissima vita perbrevis sit, & puncti instar judicanda, si cum æternitate eam conferas; ut non temerè fortassis credendum videatur, non ex intervallo aliquo sed unâ eâdemque horâ homines nasci & mori omnes. Cæterum mihi is demum diu vivere videtur, & in ætate adhuc imperfecta, vitam perfectam ducere, qui usq; ad sapientiam, id est, usque ad cognitionem Dei vixit, qui conscientiam suam fretus, mortis fiduciam præ se ferens læto atque hilari animo obeat, aut abeat potius. Et si vis, etiam dinumerentur anni, & servetur ordo, ut libet, quid tibi paucorum annorum accessio boni potuisset afferre? aut quid non mali potius? Tibi summa nunc tui principis gratia, tibi fratres & parentes incolumes, tibi patriæ ipsius tuæ & haud parvus præterea dominatus, tibi facultates, & copię non mediocres: Sed horum pleraque fortunæ temeritate reguntur: certè quæ nobis pro gratia invidiam & malevolentiam subge-

rit, pro sanitate morbos & ægritudines,
 pro dominatu servitutem & exsilium,
 pro affluentia & divitiis paupertatem &
 inopiam, pro bona ætate tædium at-
 que odium, Hi nimirum, hi fructus
 sunt, quos præsens vita acerbissimos ex-
 onerare consuevit, quos evitare &
 morte præcidere sapiens vir, si liceat,
 debet, & tunc bene secum feliciterque
 actum esse existimare, si cum hæc fucata
 & fallacia bona sibi arriserint, ea dese-
 rat. Nec verò te ulla de parentibus aut
 fratrib⁹, quos relicturus fortassis es, sub-
 eat sollicitudo. Eos quidem mihi cordi
 jam, jamque esse & fore, scias, non
 minus sanè amicos (ne quid ardentius
 dicam) quam te ipsum, in cujus recor-
 dationem Marinum fratrem & ipsum
 præclaræ spei adolescentulum in tuos
 honores, in tuas fortunas & fortuna-
 rum spem protinus assumo. Tu vale æ-
 ternum, & si mandatis meis impigrè
 semper obtemperasti, nunc si à Deo
 optimo maximo ac regum Rege tibi
 vitæ exitus denunciari videatur, lætus
 agensque gratias pare & obtempera.
 Hac oratione confirmatus & erectus
 adolescens paullò post hilariter & cum
 Dei mirâ cognitione migravit. Rex illi
 inferias

inferias magnificè persolvit, & sepulcro hujusmodi distichon exsculpi mandavit:

Qui fuit Alphonsi quondam pars
maxima Regis,

Gabriel, hac modica nunc tumu-
latur humo. Pan. l. 3. c. 32.

4 Cum Puteolos obsideret Rex, atque animi laxandi causa litus quotidie peteret, reperit viri Genuensis cadaver è tiremi hostium ejectum, litori appulsum: quo viso, celeriter equo desiliit, iisque, qui prope aderant, omnibus desilire jussis, aliis negotium dat, ut terram effodiant; aliis, ut nudum corpus lintheo obvolvant: ipse verò crucem ligneam sua manu fabricatur humati ipsius capiti affixit. Pan. lib. 1. c. 14.

Quid faciat in suos cives Alphonsus, cum etiam in hostes pius sit. Æn. Sylv. L. 1. c. 14.

2 Calamitas non adjungenda calamitati. Spigel. ad Pan. lib. 4. c. 6.

Cum Stephanus eques Neapolitanus poculo amatorio insanisset, teneretque & opida, & nonnulla regia officia, fuerunt qui à Rege illa bona postularent, quod absurdum videretur, à demente

huiusmodi bona possideri. Quibus Rex contra, sibi inhumanissimum videri, respondit, iis se etiam substantiam auferre, quibus fors mentem & cerebrum abstulisset. Pan. l. 4. c. 6.

3. *Magnis viris laudi dandum, dum aut res, aut casus tulerit, si ad sordidam etiam operam conferendam descenderint. Spig. ad Pan. l. 1. c. 25.*

1. Proficiscebamur adversus Capuam. Cumque Rex itineris primus offendisset asinarium gementem implorantemque prætereuntium auxilium, propterea quod asellus sibi prolapsus esset in luto, farinâ oneratus; desilire equo, qui non longo admodum intervallo sequebatur, Regem vidimus, atque unâ cum rustico, illum à cauda, Regem à pectore asinum, cœno hærentem, sublevasse. Appulsi nos Regem extersimus: asinarius verò, qui Regem prius non noverat, pertrepidus veniam precabatur. Parvi quidem momenti res, sed quæ nonnullos Campaniæ populos Regi conciliaverit. Panorm. l. 1. c. 25.

2 Carolus princeps Navarræ Iohannis Alphonsi ejusdem fratris filius etiam infirmis ac sordidis homuncionibus

bus opem ferre non recusabat, cum ipse morbi cujusdam abdita medicamenta teneret. Spig. ad d. l.

3 Erat Alphonfus apud Juliani templum juxta Neapolim, cum ex pœlio relatum militem, lethali ter gula transfixum, circa se locari jussit, suoque ipsius sudario vulnus obturari. Cum vero nullam spem vitæ præsentis haberet, ad beatam & immortalem vehementer hortatus est, mortuum sepeliri quoque diligentissimè curavit. Pan. lib. 3. c. 32.

4 Stabat in ripa Vulturni fluminis Rex, quo trajicienti exercitui adjumento esset, cum equiti cuidam Butardo nomine, ex acie Rudolphi Perusini aquæ vi pertracto, ac prope absorpto, uti opem ferrent, inclamavit, Cum verò neminem suppetias ferre intueretur, ipsemet concitato equo in rapidissimum flumen opis ferendæ gratia se conjecit, quem subsecutus cum esset Emnerus Gevaca, ipsum Butardum semianimem retulere, appensumque in pedes plurimam aquam evomere cogerè, quem igne refocillatum, extersumque, & inde Regis vestibus amictum revivificatum denique ajunt, Aragoniam,

niam, Aragoniam exclamasse. Pan. l. 3. cap. 43.

- 4 *Cives benevolentes regum custodes sunt. Proinde studendum principibus est, ut clementiâ, liberalitate, humanitateque subditorum amorem conservant augeantque. Spigel. ad Pan. lib. 2. c. 43.*

1 Alphonsum nonnunquam solum absque comitantium pompa incedentem vidimus. Cumque ob hoc à plerisque argueretur, suadereturque, ut more aliorum principum & ipse armatorum manu stipatus graderetur; exhoruisse consilium visus est, atque dixisse: se quidem minimè solum, ut isti crederent, sed innocentia associatum vadere; neque esse, quod benevolentiam civium fretus, quippiam extimescat. Panorm. lib. 2. c. 43.

2 Alberto Austriæ duci qui mortuo Sigismundo Cæsare, cujus erat gener, regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano imperio suscepit, cum principes amore civium tutos esse oportere, idque solam innocentiam præstare, diceret: Et fida custodia, respondit socer, infortunium excludit. Æn. Sylv. lib. 2. c. 43.

3 Prin-

5 *Princeps amorem apud populares, metum apud hostes querat. Ex Tacit. 11. Annal. Lips. lib. 2. civil. doct. c. 12.*

Ita eveniet illud Biantis: timere subditos non illum, sed pro illo. Lipsius d. l.

1 Alphonfus cum interrogaretur, quos è popularibus suis percaros haberet? illos, inquit, qui non magis eum, quàm pro eo metuant. Pan. lib. 4. c. 40. Ms. 44.

2 Interrogatus Fridericus imperator, quinam sibi carissimi essent? Qui me, inquit, non magis, quàm Deum timent. Æn. Sylv. l. 4. c. 40. Ms. 43.

6 *Reges ita moderentur vitam, ut nec inferioribus sint terrori, nec superioribus despectui. Spig. ad Æn. Sylv. lib. 4. c. 25.*

Quemadmodum superi amari & timeri volunt: ita & reges, ait Sigismundus: neque enim bene ames, nisi timeas. Æn. Sylv. l. 4. c. 35. Ms. 37.

Optimum factum sibi videri dicebat Rex, si voluntas nostra inter amorem ac metum media incederet, ut quantum
amor

amor ad excessum impelleret, tantum
timor illam è diverso retraheret. Pan.
lib. 4. c. 35. ms. 38.

XXVI. LENITAS ANIMI, AC MANSUETUDO.

1 *Facile ignoscendum, qui impru-*
denter delinquant. Spigel. ad Pan.
lib. 4. c. 12.

1 Cum quidam in itinere Regem
præcederet, ramulusque arboris ab eo
apprehensus, in Regis oculum, qui
proximè sequebatur, fortè dimissus in-
cidisset, livescente & tumescente mox
oculo, condolentibus amicis, Regem
dixisse ajunt; nihil se profectò dolere,
nisi percussoris ipsius dolorem ac me-
tum. Pan. l. 4. c. 12.

2 Devenerat Rex præcedens exer-
citus ad Furcas Pelignas, ubi paucae
admodum casæ erunt, atque hæc qui-
dem præoccupatæ, equoq; descendens
in propiorem mansionem ingressus est
una cum Putio, atque ibi offenderunt
prope ignem confidentes milites gre-
garios duos ex Caroli Campobassi so-
ciis iniquè admodum ferentes adven-
tum novi hospitis, quem Regem esse
ignorarent: ideoque conviciis, com-
pella-

pellationibus probrosis jactare cum cœ-
pisse, quod in alienam domum ingredi
ausus esset, nisi se inde proriperet, (ti-
tiones illos in eum contorturos, min-
tantes. Rex risu prope dirumpi, Putius
stomachari, qui, nisi Rex prohibuisset,
cum illis haud dubiè manus contulisset.
Cognito tandem regis Caroli adventu,
gregarii pavefacti facile ab humanissi-
mo Rege non solum veniam injuria-
rum exoravere, sed regii prandiculū
haud expertes abiere. Et sanè nemo
unquam fuit, cui celerius injuriæ exci-
derent, aut firmitus beneficia hærent.
Pan. l. 3. c. 49.

2 *Ira furor brevis est. animum rege:
qui nisi paret*

*Imperat. hunc frenis, hunc tu compe-
sce catenis.*

Horat. lib. 1. Epist. secunda.

*Vince animos, iramque tuam, quam
catera vincis. Ovid. Epist. 3.*

1 Cum poculum, quo Rex ipse bi-
berat, Caspari generoso & claro adole-
scentulo dari juberet, & Pirretus pin-
cerna Casparis inimicus, quamvis se-
mel bis & tertio jussus dare renueret,
permotum Regem surrexisse, ajunt, pu-
gionem-

gionemque strinxisse, ac fugientem Pirretum adsecutum, ne jam prehensum iratus feriret, pugionem in media ira abjecisse. Panorm. lib. 1. c. 11.

2 Wenceslaus rex Bohemiæ Sigismundi frater, Caroli quarti Romanorum imperatoris filius & heres, ministri offensus verbo è mensa consurgens, arrepto pugione amicum interfecit. Alexander Macedo, correpto in Clytum telo per mortem carissimi hominis iræ suæ satisfecit, sibi se non satisfecisse, poenitentia facti docuit. Melior itaque Alphonsus utroque, qui primo iracundiæ motui, ut homo succubuit; sed secundum ut rationalis homo pervicit, ac parvulos suos, ut ait ille, allisit ad petram. Æn. lib. 1. c. 11.

3 *Princeps ab ira & vindicta alienus esse debet; præsertim in conviciatores. Lips. Monit. & exempl. politic. lib. 2. c. 17. Seneca enim teste, contumeliarum patientia, ingens instrumentum est ad tutelam regni. Ibid.*

1 Capuam cum exercitu transeunti Alphonso miles quidam irâ effervescens in foro ipso obviam factus, comprehensus

sis equi loris, Regem sistere coëgit, neque prius dimisit, quàm quæ libuisset in Regem etiam armatum petulanter effudisset. Rex nihilo magis animo commotus ire perrexit, conviciatorem ne paululum quidem conspicatus, Pan. lib. 1. c. 12.

2 Sigismundus Imper. convicianti Bajoratio creditori colaphum incussit, mox poenitentiâ ductus, debitum omne persolvit. Modestior Rex, quàm imperator. Sed fortasse non tam huic equiti regis modestia, quàm Bajoratio Cæsaris ira salutaris fuit. Æn. Sylv. l. 1. cap. 12.

3 Nonnullos de se bene meritos, sed ipsum probris clàm solitos lacerare, Rex cum audisset: Regum esse, inquit non solum benefacere, sed mala etiam patienter audire. Ingratos profectò nequaquam effecturos, quò minus ipse & humanus & beneficus perstaret. Pan. lib. 1. c. 37.

4 In Fridericum Cæsarem III. cum non-nulli dicta probrosa jactassent, referentibus aulicis: An nescitis, inquit Fridericus, Principes quasi signum ad sagittam expositos esse. Turres quidem fulgura præaltas feriunt; humilia

lia testa prætereunt. At nobiscum bene agitur, si verbis tantum impetimur. *Æn. Sylv. l. 1. c. 37.*

5 Alphonfus cum beneficiorum immemores esse nonnullos intelligeret, & interdum etiam de se obloquentes, in-
quiebat; illis quidem, ut libet, sibi verò benefactorum fructum esse benefecisse. Rursus contra maledicentiam ingratorum videndo exclamabat; Benè habet, liberam tandem civitatem benè habemus, cuique, ut libet, licet. *Panorm. Ms. lib. 2. c. 50.*

6 Cum accusassent purpurati apud Sigismundum maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur; subridens Imperator: An vobis, inquam, grave videtur, illos malè loqui, cum nos mala agamus. *Æn. Sylv. l. 2. c. 48. Ms. c. 50.*

XXVII. CLEMENTIA.

1 *Nullum ex omnibus magis clementia. quam Regem & Principem decet. Lips. civ. doct. l. 2. c. 12.*

Nam qui vult amari, languida regnet manu. Claud. ad Honor. Et qui benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida & lata omnia

omnia fuerunt ; etiam hostes aequiores, quàm aliis cives. Salust. ad Cas. Præcipuè magistratus clementis est privatas injurias negligere. Contzen Polit. l. 3. c. 16. §. 21.

1 Qui nimis lenem & mansuetum Principem quereretur, exspectandum iis esse dicebat, ut ursi ac leones quandoque regnarent : hominis sanè clementiam esse, beluarum feritatem. Pan. l. 2. c. 49. Ms. 54.

2 Iustitia dicebat, se quidem bonis gratum esse ; at clementia etiam malis. Pan. lib. 2. c. 48. Ms. 53.

3 A Deo, inquit Fridericus Imperator, cum oro, misericordiam peto ; non justitiam. Cur igitur me subditis clementem atque misericordem non exhibeam? Æn. Sylv. 2. c. 48. Ms. 53.

5 Non tam, quod hostes vincere & sciret & posset, gloriabatur, quam quod victis consulere didicisset. Illud quidem fortunæ interdum munus esse, hoc semper suum. Pan. l. 2. c. 57. Ms. 62.

6 Cum aliquis Regi diceret ; Cave ne hæc tua misericordia, lenitudo & placabilitas in perniciem cedat ; Imò verò, inquit, multa mihi perferenda sunt,

sunt, ne in invidiam cadam. Pan. l. 2. cap. 58. Ms. 63.

7 Severum, inquit Cæsar Rudolphus, & immitem fuisse me aliquando poenituit, lenem & placabilem nunquam. Æn. Sylv. l. 2. c. 58. Ms. 63.

8 Cùm argueretur aliquando Rex, quòd mitis esset ac lenis nimis, ut qui nonnunquam etiam iis, qui vel graviter in ipsum deliquissent, ignosceret: Se quidem paratum velle esse, dicebat, Deo immortalis, si ad calculum vocetur, oves, quas in tutelam ab eo suscepisset, annumerare; & si illas repetat, restituere incolumes omnes posse. Pan. lib. 2. c. 47. Ms. 52.

9 Urbem Neapolitanam, pertinacissimè obduratam, pugnando denique cum cepisset (Deus immortalis) quàm mansuetè, quàm humaniter, quàm liberaliter sese gessit? Omnium primùm milites à cæde ac direptione coërcuit, & præter primos impetûs, quos continere faciliè non fuit, postea cives omnes à militum furore & avaritiâ tutos incolumesque servavit, ipsemet stricto ense perequitans civitatem, prospiciensque, ne quis alteri vim aut contumeliam afferret. Dein his, quam

quam victis, liberorum jura concessit, injuriarum omnium, etiam Petri, jucundissimi fratris, cædis oblitus. Pan. lib. 2. c. 20.

10 Ducem Neopolitanorum, Antonium Caudolam, exitialem & quasi hæreditarium Regis hostem, cum omnes morte mulctandum esse censerent, saluum esse Rex jussit, bonis & paternis & suis omnibus servatum restitutumque. Nec Jacobi patris capitales inimicitias, nec Antonii pervicaciam, jam dudum sibi damnosissimam, vel paululum æstimare visus est. Milites præterea captivos missos fecit, nonnullos etiam, quamvis hostes, muneribus ob egregiam virtutem, tum integram famam, donavit exornavitque. Qua mansuetudine & benignitate ipsos etiam hostes sibi exinde benevolos reddidit, universoque post hoc regno Neapolitano ab Aquila Marforum urbe ad Rhegium usque Brutiorum sine adversario in pace summa & tranquillitate potitus est. Pan. l. 2. c. 21.

11 Victo captoque à rege Antonio Caudola opidoque Carpenono, ubi uxor & filii & fortunæ omnes Antonii essent in potestatem redactæ, omnes in

G

liber-

libertatem pro suo more incolumes restituit, thesauros uxori dedit; sibi ex preciosa & diffamata suppellectile nihil omnino nisi vitreum poculum assumens. Pan. l. 3. c. 33.

12 Isclam opidum, & milite & situ munitissimum, pugnando cepit, captis licet gravissimis hostibus pepercit. In id postea ab eo colonia Catalanorum deducta, ut essent, qui cum virginibus aut viduis Isclanis connubia copularent, ratus, videlicet, id quod evenit, animos illorum deliniri & conciliari posse prole susceptâ. Pan. l. 2. c. 22.

13 Conductus jam à Rege Nestor Faventius sedecim millibus aureorum, sibi traditis jam, antequam Regi militare inciperet, ad Bononienses & Franciscum Sphortiam se contulit. Quod cum Neapoli rescitum esset, Antonius Casarelius Nestoris scriba, qui domini negotia procurabat apud Regem, vitæ metuens profugit. Verum interceptus in via, ad Regem reductus est. Constitutus in medium, jussus est recitare conditiones, inter Regem & ejus dominum per eum initas, quas cum intellexissent, qui aderant, ab Nestore violatas esse, à Rege dimissus est, non
solum

solùm metu mortis liberatus, sed viatico etiam adjutus. Hoc etiam ad magnanimitatem Regis referendum est, quod, cùm Nestor in fidem recipiendæ pecuniæ obsidem dare filium obtulisset, à Rege illi, sicuti plerisque aliis, negatum esse, palàm est. Non metu enim, sed gratiâ & voluntate sibi operam dari, semper suum consilium exstitisse. Pan. lib. 3. c. 24.

14 In obsidione Staphati centuriones ac milites, qui opido præsidio erant, non solum omnis generis tela, sed verba etiam petulantissima atque obscenissima in Regem & in Johannem Principem Tarentinum, ac Petrum infantem Regis fratrem, qui aderant, jactitasse, satis constat. Capto autem opido, cum ipse Princeps atque Infans ab ira exconviciis stimulati, eos omnes in furcam tollendos esse contenderent, Regem contrà omnes pro sua consuetudine missos fecisse, simul & suorum indignatiunculam ita lenisse: In hujuscemodi injuriis, non quid dicatur, sed à quo dicatur, inprimis animadvertendum esse. Spurci vivant spurcè, loquantur spurcè, ut libet; se nequaquam ob aliorum maledicta à

sua naturâ & moderatione recessurum esse. Ad hæc victoriam fortunæ esse munus, clementiam suam ipsius, qui clemens esse deberet. Itaque unumquemque malle ex clementia, quàm ex victoria laudem adipisci. Denique expertum loqui, nihil magis adversariorum animos flectere & conciliare solitum esse, quam placabilitatis & mansuetudinis nomen. Pan. l. 3. c. 29.

15 In obsidione Pragensi principes civitatis, qui Sigismundum odissent, populares, ut obscena & petulantissima in eum verba jactarent, astu atque arte provocabant; sic enim futurum arbitrabantur, ut irritatus hostis crucem & quævis duriora supplicia comminaretur obsessis: illi verò poenam metuentes, obsidionis incommoda constantius tolerarent. Quod cum intelligeret Imperator, impunitatem omnium quæ in se dicerentur, per præconem promisit. Æn. Sylv. l. 3. c. 29.

Ubi verò Pragam recepit, qui paulò ante Boëmorum hostis, ex adulterio natus, Antichristi filius, sacrilegus, publicis hominum votis perdendus censebatur, extremis honoribus exceptus

ptus est. Vide Sylv. in histor. cap. 52. Spigel. ad lib. 3. Æn. Sylv. c. 29.

16 Alphonsi verò moderationem, clementiam, liberalitatem, cum in alios prope innumerabiles, tum in Marinum Bossam, suum infensissimum hostem, quis dignè satis unquam enarra- verit? qui Arpario opido & in eo si- mul Marino ipso vi capto, cum univer- sus fermè exercitus in Marini necem conjurasset, unus Alphonsus ipsum à militum furore atque injuriâ prohibuit, quem postea & in bona restituit, & in senatorum numero collocavit, ejus et- jam filiis inter aulicos, quos familiaris- simè diligebat, admissis. Panorm. l. 3. cap. 36.

17 Cum diceret Laurentius Palati- nus Hungariæ, imprudenter agere Si- gismundum Imper. qui victis hostibus non solum vitam & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: Tibi, inquit Sigismun- dus, videtur utile inimicum occidere; neque enim mortuus bellum excitat: At ego & inimicum occido, dum par- co; & amicum facio, dum extollo. Æn. Sylv. l. 3. c. 36.

18 Cajetam urbem pertinaciter ob-

G 3

fiden-

fidente Alphonso, coacti sunt opidani ob famem, quâ maximè urgebantur, pueros, puellas, & ætatem omnem, bello inutilem, è civitate expellere. Ejecti igitur paululumque progressi, necessariò sublitère; nam & redire à suis ferro saxisque, prohibebantur, & ingredi regia castra nondum facultas erat. Erat interim cernere miserabilem illam multitudinem, ad suorum simul & hostium iæsus expositam, Parentum pariter & natorum complorationes, tum Regis, tum suorum fidem ac misericordiam inclamantium: interea exagitari, impelli, vulnerari, confici. Tum Rex ab his abstinere sese milites suos iussit, patrumque consilium advocari. Censuerunt ferè omnes, haudquaquam excipiendos esse. Si ferro aut fame interierint, suorum civium noxam, non Regis aut regionum, esse. Ego quoque (ut errorem meum ingenuè fatear) sententiam rogatus dixi, Lege militari recipiendos non esse. Quippe quæ obsessis ac fame laborantibus præcipit, uti bello inutiles ejiciant: contrà verò, qui obsident, ejectos omnino ne admittant, sed rejiciant potiùs. Conversi eramus omnes in Regem, delibera-

tio-

tionem ejus avidissimè exspectantes. Tum ille: Et ego malo, inquit, Cajeta & Cajetanis nunquam potiri, quàm tam foedè, tamque crudeliter vincere: cum viris mihi dimicatio est, non cum mulieribus ac pueris. O Regem immortalitate dignissimum, quique universum genus humanum gubernet & regat! Victoriâ, quæ impia & luctuosa esset, nullam judicavit. Igitur omnem sexum atque ætatem imbellem excipi jussit, exceptos omnes abundè refici atque refocillari. Panorm. lib. 1. c. 15.

Exceptis à Rege impuberibus, senibus, omnique sexu, bellis haudquaquam utili, quos Cajetani obsessi ob penuriam annonæ civitate expulissent, quidam Regi dixit: Si tu hos non admisisses, Cajetani paucis post diebus sese dedidissent. At ego, Rex respondit, pluris facio eorum vitas, quàm Cajetascentum. Facinus profectò regium & memorabile, ac diis immortalibus inprimis gratum acceptumque. Quam enim urbem per id tempus quadraginta ferme millium conatu capere nequivisset, postea soluta ac diu destituta jam obsidione, sine vi, sine armis.

numinis tamen benignitate & gratitudine in ditionem redegit. Panorm. lib. 1. c. 26.

Misericordem regem unum vel hoc factum Deo optimo & maximo proximum facit. Verum cum victoriam Rex abhorreat, foeditate & crudelitate partam, existimandum est, neque iis cum auxilio esse, qui bella per omne nefas gerunt. Æn. Sylv. l. 1. c. 15.

Alia, quæ hîc non aliena, vide infra in Tit. *Victoria*.

2 *Alexandri magni dictum illud est, quam celebratissimum: Regis id esse proprium, à quibus malè audierit, in eo beneficentia majore ut utatur. Spigel. ad Æn. Sylv. lib. 1. cap. 37.*

Ne vincitor à malo, sed vince bono malum. Rom. 12. 21.

1 Johannes Fortis cognomine, miles veteranus, ægerrimè ferens, quod opidum, suæ fidei commissum, sibi Rêx auferret, ut alteri daret, ab eo discedens Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam peragravit, omnibus in via regibus, principibus ac populis Alphonsi ingratitude, & conficta animi vitia,

vitia, disseminans ac divulgans. Sed cum nemo omnium ejus maledictionem, quamvis Alphonſi hostis, tam gratanter audiret, ut vel panem modò & nasturtium offerret ad victum, inopiâ coactus ad Alphonsum retrò repetens, Florentiæ restitit, Regis animum, quem probris immutatum, sibi que infensum crediderat, explorans. Id Regi ubi primùm innotuit, Johanni renunciari jussit, turò ad se redire licere; se quidem potius benefactorum ejus, quàm vanè-dictorum memorem esse: venientemq; viatico & pecuniâ juvit. Simili moderatione ac liberalitate usus est tum erga alios multos, tum proximè erga quendam equitem Hispanum. Is enim cum apud reges occidentales ferè omnis Alphonſi nomen & vitam, nulli maledicto parcens, passim propalamque proscidiſſet, tandem rediens ab Alphonſo perhumaniter ac benignè exceptus est. Panorm. lib. 1. cap. 57.

2 Johannes Gerſius Weſtvalus, qui Sigismundi Cæsaris protonotarius fuit, Alberto Romanorum rege fatiſ functo, principes Electores apud Francofurtum aditi, ac ne Fridericum eligerent,

G 5 sua-

suadere summopere conatus est, conficta in enim vitia multa disseminans. Neque contentus his, cum Romam Fridericus peteret, imperiales infulas suscepturus, Nicolao V. pontifici maximo epistolas direxit, quibus, ne Fridericus coronaretur, annixus est. Nihil tamen horum Imperatorem latuit, hominemque cum posset corrigere atque interimere, passus est Viennæ vivere, partisque frui bonis, quæ illi non mediocria fuere. *Æn. Sylv. l. 1. c. 57.*

3 Alphonfus cum audisset Albertum Orlandum apud se diutissimè exploratorem agere, non solum non eiecit e curia, sed salarium annuum illi ultrò constituit. *Pan. l. 4. c. 28. Mf. 30.*

4 Carolus quartus, Romanorum Imperator, hominem, qui sibi necem paravisset, ad se vocavit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret: Illius se jure misereri, dicens, cui filia natu grandior domi clausa esset. Homo gratias egit Regi, & ad conspiratores egressus: Nesciebam, inquam, Carolus qualis esset, nunc liberalem & clementem principem ferire nullo pacto possem. *Æn. Sylv. lib. 4 c. 28. Mf. 30.*

Vide

Vide etiam supra subtit. *Lenitatis*,
Canone 3.

*Princeps ab ira & vindicta alienus
esse debet, &c.* Ex Pan. l. 1. c. 37.

- 3 *Clementia interim salutare severitate temperanda. Contzen polit. lib. 3. c. 16. §. 21. Tam enim nocet qui malo insanabili parcit, quàm qui integra abscindit. ibid. §. 23.*

1 Perniciosos eos esse cives dicebat, qui regum innocentiam, bonitate, lenitate abuterentur. Plerumque etenim accidere, uti perversis civium moribus, reges præter eorum naturam, asperius regnare cogantur. Contra eos probos spectatosque cives esse, qui principis benignum & humanum ingenium eorum virtute atque prudentiam foverent simul & augerent. Pan. l. 4. c. 22.

2 Ideoque cum quidam se civem Budensem diceret, sibi que tanquam membro parcendum arbitraretur: Et putrida, inquam Sigismundus Imperator, si sit mea manus, abscindatur. Æn. Sylv. lib. 2. c. 48. Mf. 51.

- 4 *Crudelitas & ipsis Principibus noxia. Contzen lib. 3. Polit. cap. 16. §. 3. & 17.*

Alphonfus , Principem , inquebat
veluti animam esse debere reipublicæ;
eam velut corpus . Proinde Principes
hand satis mirari , qui cum cives offen-
dant, non intelligunt, in illis seipfos pa-
riter offendere, atq; in semet ipsos &
crudeles esse . Panorm. Ms. l. 2. c. 51.

XXVIII. CONFIDENTIA.

*In delationibus de infidiis structis,
Princeps videat, ut omnibus qui-
dem aures prabeat, non etiam fidem.
Lips. Civ. doct. lib. 4. c. 10. Ex Me-
canat. monito apud Dio. 52.*

*Quid si importuno tempore infidia de-
tecta? dissimulabit, gnarus, solum
sape insidiarum remedium esse, si
non intelligantur. Idem ex Tacit.
XIV. Annal.*

*Præterea Deo cura est venerandi
principis. Huic fidendum. Idem ex
Theocrito.*

1 Admonuit modo Tuscia, ut ani-
mosi Regis fiduciam, qua mortales o-
mneis antecesserit, exprimamus. Cosmas
Florentinus, Alphonso malè pacatus vir,
alioqui magnus & illustris, cum dono ei
mitteret Titi Livii libros utique præ-
cla-

claros, reclamatum est à Medicis, qui aderant, ne per immortales deos librum attrectaret, ab hoste missum, veneni suspectum. Rex primâ facie visus est Medicis assentiri, illis animo illudens. Nam cum Livius in medio constitutus esset, illum manibus accepit, legit, evoluit. Subinde Medicos, qui continuè adversarentur, rogitans, ut desinerent ineptire. Regum quidem animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub Deicura & tutela securas, lætasque agere, inquit. Pan. l. 1. c. 36.

2. Pharmacum securus Alexander accepit, paratum à Philippo Medico, quem corruptum auro Persico scripserat Antipater. Uterque Medicus, ille arte, hic familiâ, suspicionis periculum incidit. Æn. Sylv. lib. 1. c. 36.

3. Alphonsus cum à Ludovico Podio è Roma certior factus esset, Ritium regionum peditum ductorem, ad hostes opidis aliquot occupatis, statim transitorium, operæ precium fore, illum re adhuc integra capere ac custodire: Malle se, inquit, à suis prodi, damnoque affici quam de illis unquam minus confisum videri. Desciscat Ritius, ut lubet, se nequaquam de beneficiarijs suis tale ali-

quid, nisi comperto scelere, esse crediturum. His adjicias, quod cum Ritius proditionis occasionem quærens, à Rege grandem quandam pecuniam indebitè efflagitaret, Rex illam, vel ut eum à proposito deflecteret, vel ne quid culpæ in se ipsum rejici posset ad Ritii excusationem, è vestigio quantamcunque tradendam curavit. Pan. l. 3. c. 14.

4 Romam cum peteret Fridericus Imperator, ex præfectis, quos Flavianis reliquerat, certior factus est, Ulricum Eitzingerum inter procures Austriæ opibus & industriâ nulli secundum, trans Danubium profectum esse, ibique clandestina colloquia cum Moravis habere, timendum esse, ne res novaret absente principe: E reigitur fore, Ulrico, cum rediret, vincula injicere. Quibus Imperator respondit; clarum ac potentè hominem periculosum esse in carcerem rāpere, quando neq; nocentem plectere eum, neque innocentem dimittere audeas. Ulricum proinde, quia consiliarius suus esset, jurisjurandi immemorem haudquaquam se credere, priusquam experiatur. Æn. Sylv. l. 3. c. 14.

5 Profligato captoque Antonio Caudola, renunciatur Regi, penes illum

cx-

exstare plurimas epistolas in caput & statum ejus conscriptas: è re igitur Regis esse, illas exhibitum ac lectum iri, quo saluti ipsius prospici possit, simul & in proditores animadverti. Hæc rex cum audisset, literas proferri jussit, & minimè lectas, igne comburi. Panorm. lib. 4. c. 13.

6 Cum Alphonfus accepisset, quendam ex generosioribus necem ei jam dudum moliri, non propterea solus cum solo congredi veritus est, quin imò velut detestandi facinoris ignarus, sæpe illum placidissimâ conversatione à proposito deflectere tentavit, Pan. Ms. lib. 4. c. 31.

XXIX. PATIENTIA.

Libenter feras, quod necesse est; dolor patientiâ vincitur. Senec. lib. de moribus.

1 Cavernosum ulcus, in tibia exortum, scatenſque, solutus Rex nec ab aliquo retentus, ignito gladio scindendum Medico præbuit, nullo prorsus aut voce, aut gemitu, aut frontis contractione, doloris signo edito. Panorm. lib. 4. c. 43. Ms. 47.

2 Ignis, quem sacrum vocant, digitum

tum pedis Sigismundi Cæsaris exurebat, & ne ulterius serperet, timebatur. Medici abscindendum digitum suafere. Paruit Imperator, & quasi alius incideretur, ita immotus Chirurghi ferum inspectavit, & pertulit. *Æn. Sylv. lib. 4. c. 43. Ms. 46.*

3 Lupus Simoninus, Durreæ dominus, per id temporis Neapoli Proregem agens, cum per nuncium Regi absenti significasset, navem alteram ex duabus, quas instar montium Rex ædificaverat, nautarum negligentia deflagrasse, respondit: Scire se eam navim, quamlibet magnam, atque magnificam, paucis tamen post annis, aut labe, aut teredine perituram fuisse. Proinde secum æquo animo, si sapit, ferat infortunium. *Pan. l. 3. c. 9.*

XXX. LIBERALITAS.

1 *Liberalitas vero principi convenit, estque maximè decora. Contzen Polit. lib. 3. c. 3.*

1 Cùm audisset, Vespasianum Cæsarem, eam diem se perdidisse, solitum dicere, in qua nihil quicquam alicui donasset; egisse gratias Rex dici-

tur immortalī Deo Jesu Christo, quòd eo modo nec diem unam ipse perdidisset. Panorm. l. 2. c. 16.

2 A Gallico Principe petiit quispīam filiæ, quam haberet unicam, aureos viginti, quibus eam nuptui traderet. Sibi enim non esse, unde corradere dotem posset. Id ubi negatum est, ad vicinum regem commendaticias literas impetravit, quas vir bonus & nobis amicus dictavit, signandasque principi tradidit. Cui Princeps, unde papyrum sumisti? Ex tuo, inquit, armario. Tum Princeps: ficcine me, ait, expilatis omnibus? Si sic bona nostra prodigemus, ad mendicitatem brevi redigemur. Malè hanc diem expendimus. Æn. Sylv. lib. 2. c. 16.

3 Philelphum poëtam ad se Satyras, diutissimè evigilatas, deferentem, illasque canentem, ac propè agentem, non prius, quàm militiæ honore decoratum præmiisque auctum, remisit. Panorm. lib. 3. c. 11.

4 Legerat Philelphus, ut opinor, cum Satyras Alphonso mitteret, quod scribunt veteres de Antonino Pio, qui Oppianum poëtam, de natura piscium canentem, per singulos versus aureo
num-

nummo donavit. Unde sunt illius postmodum aurea carmina nuncupata. Æn. Sylv. lib. 3. c. 11.

2 *Reges armis , quàm munificentia
vinci , minus flagitiosum est. Sallust. Iugurth.*

*Sed cum judicio. Subita enim largitionis comes poenitentia. Plin. l. 6.
2. Epist.*

Etiam cum modo: ne si ararium ambitione exhausseris , per scelera supplendum sit. Tacit. 2. Ann.

*Liberalitate etiam liberalitas perit.
Ex Hieronym. Lips. lib. 2. Civil.
doct. cap. 17.*

Equiti cuidam prodigo , quippe cui nulla pecunia esset satis, & à Rege quotidie multa postulanti , dixisse tandem fertur : Amice , si tibi plura dare indies perrexero , citiùs me pauperem , quàm te divitem effecero : hoc enim perinde esse , ac si piscinam perforatam implere quispiam contendat. Pan. l. 2. c. 26.

XXXI. MAGNIFICENTIA.

*Magnificencia est virtus , Principibus
& magnatibus cum primis digna.*

Conrad. Hornejus Eth. l. 3. c. 7. n. 6.

1 Cum

1 Cum à quæstore Regi deferrentur aureorum x millia, dixissetque, qui forte aderat, ea dumtaxat summa se divitem & beatum fore : Accipe, Rex inquit, quantacumque ea est ; & beatus esto . Panorm. l. 4. c. 2.

2 Iohannes Castricurti dominus, natione Gallus, genere, auctoritate, factis eques insignis, ab Henrico Britanniae rege prælio captus, carcere asservatus est, donec fide datâ grandi admodum sese pecunia redempturum repromitteret. Cumque is promissis haud sufficiens, reges ac principes Europæ omnes adiisset, uti ab his ea pecunia, aut saltem quantulacunque relevaretur, unum denique ex omnibus Alphonsum reperit, qui eum tota illa, quantumvis iniqua, pecunia, & à fide obligata liberaret & à captivitate redimeret. Pan. lib. 2. c. 38.

3 Liberalitatis verò ac magnificentiæ Alphonsi tam multa sanè documenta exstant, quàm multi, penè dixerim, homines sunt, virtute aliqua aut doctrina & dignitate præclari. Omnes enim comiter aut perlautè eum accipere solitum, scimus, & lautitiam & impensam regio more præstare. Vidi ego uno & eodem

eadem tempore Duces illustrissimos, Cardinales summi Pontificis, legatos innumeros, oratores Alphonsum accepisse, neminemque passum, nisi regia pecunia victitare, abeuntes omnes preciosissimis donis ac muneribus prosecutum. Pan. l. 4. c. 3.

4 Lege quæso Pontanum in de Liberalitate, & in de Magnificentia, sanè cognosces in speciem, Panormitam omnino nihil ad gratiā Principis sui, sed ipsissimæ veritati testimonium retulisse. Cæterum quoniam hac re non modò par Alphonso, sed superior multò fuit aug. me. Princeps meus Cæs. Maximilianus. Ex multis incredibilis ejus liberalitatis exemplis hîc sit satis hoc in universum meminisse; Eum scil. in clarissima Vienna sua anno à nato Christo M. D. XV. in XV dumtaxat diem usque suis aluisse sumtibus tres Reges, Comitatumque eorum, impendendo supra ducenta millia aureorum Rhenensium, excepto munerum precio, quæ & multa & magna fuerunt. Spig. ad. d. l.

5 Unum verò illud liberalitatis ac magnificentiae exemplum vel præcipuè afferemus in medium, dictu admiratu-
que

que dignissimum. Nam cum Alphonfus adiret Fridericum tertium Imperatorem ad se visendi & salutandi gratiâ Neapolim accedere, multa secum millia hominum ducentem, continuò illi obviam misit lectissimos oratores, antistites, principes, duces, comites, viros venerabiles, & illustres, qui illum, quâ maximè possent, humanitate ac largitione fusciperent. Processerant hi usque in agrum Privernatium, conduxeruntque Imperatorem magnâ cum pompa ac festivitate Terracinam, ibique primò claves regni Neapolitani cum jurisdictione, plenoque imperio detulerunt. Deinde proluxam orationem de adventu ac laudibus ejus habuere. Ego orationem communi oratorum nomine dixi (aderam quidem ego ex oratoribus unus,) quam postea qualemcunque, collegarum hortatu scriptam, reliqui. Acceptus & perlautè regalique apparatu cum universo comitatu, in quo Leonora Augusta aderat, & Albertus Cæsaris frater, & complures ex Germania reguli ac proceres. Sequenti die, cum Terracina decederet, à Ferdinando Regis filio, miro cum splendidissimorum equitum comitantium applausu receptus

ceptus est, perque medias civitates sub umbella magna cum gratulatione, ac propè triumphantium more, usque in campum Stellatum perductus inter profusissimos ac penè continuos obsoniorum apparatus; ubi à Rege ipso receptus est cum omnibus unà regni regulis, proceribusque, hilaritate lætitiâque incredibili deductus ad Regis dexteram sub pallio umbellari Capuam, inde perpetuâ pompa Neapolim. Ibi per omnia theatra, aut magis sessiones, ubi pulcherrimæ honestissimæque civitatis puellæ auratis, sericis, coccineisque vestibus excultæ cantantes, choreizantes, plaudentes, transeuntem, paululumque remorantem adorabant productum. Sileo hîc ludos equestres ac Christianos, omitto convivia ac positiones, transeo venationes, & reliqua ad honorem ipsius Imperatoris tam magnificè excogitata, quanta nusquam essent aut lecta, aut visa, aut audita aliâs. Verùm illud prætereundum non fuit, quod tantæ huic multitudini non solùm lautitia & impensa ex regio fisco duos fermè menses fuerit opiparè præbita; sed quicquid etiam vestitui, quicquid voluptati usui esset, sine precio prom-

promptissimè traditum. Audivi sæpius à regiae rationis scriba, universam hanc in Imperatorem hospitalitatem aureorum C millium summam, præter ingentis precii munera, supergressam fuisse. Panorm. lib. 4. c. 4.

6 Venatio ista, teste Pontano, exhibita est, quatuor millibus passuum à Neapoli, qui locus à regibus venationi statutus est. Fixa tentoria in campis secundum Anguianam paludem, fontes è vario vini genere passim ad litus facti, mensæ apparatus, in quibus supra triginta hominum millia discubuerunt. Huc accedit, quod, qui spectandi gratia convenerant, plurimi mortales, onerati esculentis plurimorum dierum domum rediere. Nesciam, an Sol in hoc magnificentiae genere, quicquam viderit magnificentius. Spigel. ad d. l.

7 At hoc ad gloriam non medio-
crem Alphonso cessit, quod Fridericus
Imperator Romæ coronatus, ad eum
visendum venerit. Nam ille cum in
Germaniam redisset, interrogantibus
amicis apud Italos, quæ memoratu di-
gna vidisset? Alphonsum, inquit, o-
mnium, qui modo vivant, regum &
prudentissimum & magnificentissi-
mum.

mum. Cumque aliqui non probarent, quod major dignitas ad minorem venisset: imo, ait ille, ad maiorem profectus sum. Nam etsi minor est Regis autoritas, quàm Imperatoris: Alphon-
sus tamen Friderico major est. *Æn. Sylv. lib. 4. c. 4.*

8 Cùm adhuc Valentiaë ageret, He-
leonoram sororem, quàm unicè dilige-
bat, Eduardo Johannis Portugalliaë re-
gis filio, natu majori, magnificentis-
simo apparatu nuptui tradidit. Ex qui-
bus postea procreata Heleonora filia;
dumque hæc scriberemus, Friderico
tertio Romanorum Regi, quod faustè
& feliciter eveniat, ejusdem Regis &
avunculi opera desponsata est. *Pan.
lib. 2. cap. 2.*

Ad hæc sponsalia contrahenda nos
huc ex Austria legati Cæsaris venimus,
remque absolvimus, quamvis collegæ
nostri Georgius de Populosa & Mi-
chaël de Plena villa adversi essent, qui
dotis nomine minus promitti, quàm
par esset, arbitrabantur. At Leonora
Augusta, (sic enim eam vocitamus)
regia neptis hoc anno filium peperit,
Christophorum nomine, scitum puel-
lum, & oris lineamentis Alphonso per-
similem;

similem; utinam moribus! Æn. Sylv. lib. 2. cap. 2.

9 Arcem regiam, quam novam Neapolitani vocant, à fundamentis Alphonsus restituit, & ita demum novis operibus ampliavit, ut cum omni vetustate possit de magnificentia contendere. Panorm. lib. 1. c. 23.

Fredericus Imperator Viennæ, & in Nova civitate Aultriæ arces magnificè instauravit. At Sigismundus olim Budæ. Cæterum Alphonsus & nova, quæcunque viderim opera, & vetusta supergressus est, neque Darii Regiam Neapolitanæ arci comparandam fuisse, putarim. Æn. Sylv. lib. 1. c. 23.

10 Scimus item Alphonsum Regem non modò vectigalium partem maximam civibus suis elargitum, sed urbes etiam præclarissimas, comitatus, ducatusque splendidissimos dono dedisse, ac interim solitum dicere: Regum imprimis studium & officium esse populares suos locupletes efficere; popularibus enim ditioribus factis, nec utique reges futuros pauperes. Panorm. l. 4. cap. 42. Ms. 46.

11 Portus Neapolitani pulcherri-
mam molem, pluribus locis everfam,

H

resti-

restituit; aquæductus subterraneos expurgavit ac refecit; veteres fontes instauravit; novos nonnullos extruxit; aquas publicas, diu jam magna ex parte dispersas, in aquæductus alveum reduxit; vias urbis propè omnes, vetustate & frequenti vehiculorum transitu detritas atque convulsas, nigra silice constravit, plaustris penitus vehiculisque urbe summotis; & nunc, diis bene juvantibus, parat ad aëris serenitatem salubritatemque paludes siccare & lacus emittere. Pan. lib. 1. c. 61.

12 Benè cum Neapolitanis actum est, quibus hunc regem divina pietas dedit, quo regnante & ditantur & extolluntur. Memoriam, si grati fuerint, Alphonso æternam retribuent, qui regnorum omnium suorum huc opes contulit. Æn. Sylv. lib. 1. c. 61.

Adstipulatur Pontanus lib. 1. de Alphonso: Hoc regnante, inquit, Italiæ res maximè floruerunt. Nam & bella multa fortissimè gesta sunt, & bellis partim compositis, partim confectis, pax secuta est tranquillitatis atque opulentiae plena. Hæc ætas fortissimos Duces, sapientissimos rerum public. administratores habuit, viditque literarum

rum studia magno favore, ingenti frequentia, post tot seculorum interjecta intervalla, revocari. Spigel. ad d. l.

XXXII. BENEFICIA.

Majoris est beneficii, beneficium, quod praestatur indignis. Salvian. lib. 4. de gubernat.

1 Alvarum Lunam ab Alphonso, cujus erat popularis, magnopere postulantem, ut se, ad Johannem Castellæ Regem proficisci cupientem, illi commendaticiis literis notum & commendatum faceret; non modò notum & commendatum, verùm adeò gratum & acceptum Rex fecit, ut brevi ad amplissimas fortunas, & Johannis usque intimam gratiam evaserit, sed benefactoris, & beneficii immemor. Iccirco cùm ingratitude aliquando Alvarus argueretur, Alphonsum ita dixisse accepimus; Compertum se quidem habere, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitude satis fieri: propterea plures quidem esse, qui darent; sed qui dare scirent, esse perpaucos. Nec ideo pigrius dandum aut benefaciendum esse. Panorm. l. 2. c. 35.

2 **Audivi Fridericum Imperatorem** sæpenumero dicentem, ex iis, quos extulisset, quàm paucissimos gratos fuisse. Idque muneribus suis datum esse, ut ex fidelibus infideles fierent. *Æn. Sylv. lib. 2. c. 35.*

3 **Alphonfus Rex**, autore Pontano, cum indignis, tum à quibus malè audiebat, multum & sæpenumero contulit, dictitans, offulam obijciendam oblatrantibus canibus. *Spigel. ad d. l.*

XXXIII. VECTIGALIA.

Inhonestus & turpis proventus tollendus est. Spigel. ad Pan. l. 1. c. 61. Lampridius autor est, Imperatorem Severum vetuisse, inferri in sacrum ararium lenonum vectigal & meretricum & exoletorum. Ibid.

1 **Vectigal**, quod ex meretricio atque aleâ multis ante seculis pensitabatur, sustulit, Neapolitano civi, cui id lucrum à superioribus regibus concessum erat, priusquàm vectigal aboleretur, satisfaciens. *Pan. lib. 1. c. 61.*

2 **Apud Bohemos** hoc vectigal exigi nequit, apud quos lupanaria & quævis peccata publica Hussitarum lege pro-

prohibentur. Nostri minora mala tolerant, ut majora quæque devitent. Æn. Sylv. lib. I. c. 61.

XXXIV. HOSPITALITAS.

Dum tecum est hospes, colito; dimitte volentem. Ex Homero.

Par scelus hic, à quo supplex & ladi-
tur hospes,

Patrat. Frisius ex Hesiod.

Dimissus à Philippo Rex cum in portum Veneris se recepisset, accepit Genuam urbem à Philippo descivisse, ibique plurimos Hispaniæ proceres detineri, in quibus & Iohannem Navarrae regem captum carcere asservari. Quod cum accidisset, nonnulli Genuenses viri patricii, qui in portu Veneris agebant, Regi se concredidere, & se vicissim capi & asservari debere in regionum commutationem. Cæterum Alphonso mos fuit, ut qui apud se diversarentur, quamvis inimici, aut adversarii, hi tamen tuti semper & incolumes essent. Hos igitur omnes ad unum missos fecit. Pan. l. 3. cap. 47.

XXXV. CONCORDIA.

Ecce quàm bonum & quàm jucundum, fratres habitare in unum!

Psal. 132. vel 133. vers. 1.

Antisthenes, fratrum inter se concordiam, dixit, quovis muro firmitus munimentum. Laërt. lib. 6. c. 1.

Cum classis Philippi ducis Mediolanensis adventare in auxilium Cajetanorum cerneretur, essetque de imperatore regiae classis eligendo non parva dissensio: siquidem Johannes Navarræ rex & Henricus Infans, utrique Regis fratres, id pro se quisque appetere videbantur. Alphonsus ne alteri curam & imperium classis demandando, alterum offenderet, statuit ipse classem conscendere, pacem & concordiam fratrum pluris faciens, quàm periculum, quod castris imminere videbatur, si, quod accidit, castra ipse relinqueret. Pan. lib. 3. cap. 37.

XXXVI. CONSTANTIA.

Cæptis, quæ quidem iusta sunt, decet regem in victum adhibere animum, ac fortunam ferendo vincere. At ubi

BONI PRINCIPIS. 165
*ubi conatus iniquus est, prestat
vinci, quàm vincere. Æn. Sylv.
lib. 1. cap. 9.*

*Cum rogaretur Sigismundus Impera-
tor, quem virum regno dignum
aptumque existimaret: Eum, in-
quit, quem neque secunda res ex-
tollerent, neque adversa deprime-
rent. Æn. Sylv. lib. 4. c. 10.*

1 Bellum Neapolitanum semel in-
genti atque invicto animo cum susce-
pisset, nullâ postea vi, nullo periculo,
nullâ clade, nullis denique difficultati-
bus averti aut deterreri potuit ab ince-
pto: quinimo à fortuna nonnunquam
projectum, vel in hostium potestatem
perductum, surrexisse vidimus, multo-
que acrius, quàm ante constitisse, in-
credibilique pertinaciâ bellum omnium
fere difficillimum, post secundum de-
mum & vicesimum annum confecisse,
mortalesque omnes exemplo suo ad-
monuisse, fortunam ferendo superari
posse. Panorm. lib. 1. cap. 9.

2 Ob magnas, insperatasque victo-
rias, nunquam omnino mutatum Al-
phonsum vidimus. Idem illi semper & in
omni fortuna vultus, idem habitus, ser-

H 4 mo

mo idem, mansuetudo, benignitas, humanitas eadem. Pan. l. 4. cap. 10.

3 Ejusmodi fuit & Cæsar Maximil. nec secundis elatus rebus, nec animo adversis infracto. Spigel. add. l.

4 Captum Regem Alphonsum dum ad Philippum perduceretur, adeò liberi auctoritatem majestatemque perpetuò servasse, ajunt, ut interdum victoribus ipsis non victus, sed victor potius appareret. Nautis enim, qui eum conducerent ac navis præfecto, quæ ipse cuperet, quotidie mandasse, mandata illos obsequenter ac reverenter exsecutos esse: propterea haud quidem temere dixisse nonnullos, in omni fortuna Alphonsum & videri & existimari meritò regem. Pan. lib. 3. c. 38.

5 Lodovicus Bojoariæ dux apud Henricum ejusdem familiæ principem in carcere cum observaretur, nunquam illi ad se venienti assurrexit, neque capite annuit, neque, quod ab eo peteretur suadereturve, quicquam fecit. Eum vultum, eam severitatem retinuit captus, quibus, cum liber esset, usus est. Æn. Sylv. lib. 3. c. 38.

6 Captus rex, adductusque ad Ænariam insulam, monitus jussusque est per
inter-

internuncium Genuensium classis præfecti, ut insulam in potestatem populi Genuensis dedi protinus curaret. Cui rex per eundem internuncium respondit: Fateri se quidem corpore captivum esse; animo verò, si quando aliàs, liberum. Se nec mandaturum tale aliquid popularibus suis, nec, si mandaret, illos captivi regis mandata facturos. Suaderet sibi, è regnis suis ne saxum quidem sine armis obtineri posse. Admiratum præfectum, ajunt, Regis animum atque constantiam, seque prolixioribus verbis purgasse apud Regem; culpâ omnium in internuncium ipsum rejectâ. Pan. l. 3. c. 44.

XXXVII. AULICI.

In cujuscumque animo virtus inest, ei plurimum est tribuendum. Lips. doctrin. civil. l. 3. c. 10. ex Vellej lib. 2.

Beatos esse in terris reges, ajebat Sigismundus Imperator, si exclusis superbis, mansuetudinis humanitatisque cultores in curiam adsciscerent. Æn. Sylv. lib. 2. cap. 59. Ms. 64.

Manfuetos & misericordes amplecti & honestare consuevit. E contrario superbos, velut diis & hominibus exosos, horrere. Pan. lib. 2. cap. 59. Ms. 63.

XXXVIII. CONSILIARIJ, SENATORES.

1 *Recipiat alius ordo forte mediocres: Senatus respuit eximie non probatos. Arnif. doct. pol. cap. 14.*

Homulius optare solebat potius malum principem, qui bonos haberet consiliarios ac amicos: quàm bonum, qui malos haberet, quibus rerum administrationē committeret. Putabat n. facilius fore, ut à multis bonis unus malus ad saniora duceretur, quàm ab uno bono multi à malitia averterentur. Lamprid.

1 Cathalanis optimum factum fore censentibus, si Regi adhuc adolescentulo septem viri ad gubernandas respublicas adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub freno, neque donis, neque muneribus tangerentur, Alphonsum laudasse consilium accepimus, atque dixisse: Si hujusmodi, non dico, septem

ptem; sed unum aliquem mihi virum dederitis, ô amici, continuò illi & regimen, & regnum ipse concessero. Pan. l. 4. c. 14.

2. Illud vel notabile præcipuè inter Regis facinora fuerit, quod quotquot viros, aut re bellicâ aut literariâ illustres acceperit; ad sese penè omnes evocaverit, evocatos amplissimis honoribus, magnificentissimisque muneribus ornârit. Brachium sui temporis præstantissimum copiarum ducem arctè familiariterque dilexit, quem adolescens adhuc in disciplina militari magistri loco & habuit & observavit. Is est, qui rei bellicæ gloriam, apud Italos penè extinctam, admirabili arte ac industriâ revocavit atque auctiorem fecit. Post hunc Nicolao Picinino ex Brachiana disciplina, sed nec inferioris gloriæ viro, conjunctissimè & amantissimè usus est. Inter doctrinâ verò, & ingenio insignes amplexus præcipuè Bartholomæum Facium suavis & priscæ eloquentiæ virum, à quo quidem & res, à se gestas, perscribi cupidè appetivit, maximè ejus libri suavitate allectus, quem de vitæ felicitate Regi ipsi antea dicaverat. Georgium Trapezuntium, græcis & latinis literis virum eruditissi-

num, inter familiares, quos cum admiratione diligebat, admisit, dato negotio, ut Aristotelis de naturali historia libros omnes è græco in latinum traduceret; quoniam illi, qui prius ab, nescio, quo traducti exstabant, propter asperitatem barbariemque orationis haud satis probabantur. Leonardum verò Aratinum, virum ætatis suæ disertissimum, quò minus apud se habuerit, non voluntas, sed invaletudo illius atque ætas ingravescens impedimento fuit. At epistolæ, quæ ultro citroque exstant & exstabant diu, mutui & amoris & officii documenta præstabant. Poggium Florentinum, virum illustrem, ob Cyropædiam, suo jussu è græco conversam, non solum benevolentiam complexus est, sed honoribus & opulentissimis donis ornavit. Sileo Theologos, quos ex ultimis terrarum regionibus accersitos, legentes ac disputantes quotidie audierit, & quorum nonnullos postmodum ad summas dignitates, mortalium omnium gratissimus, evexerit. Præterco Philosophos, Medicos, Musicos, Jurisconsultos, quibus Regia omnis redundat omnes locupletiores effectos. Nam si singillatim eorum, non dico, vir-

virtutes atque præconia, sed nomina dumtaxat nuda percensuero, hæc ipsa nimirum sibi ingens volumen exposcere videbuntur. Igitur singulos in alios locos rejiciamus. Panorm. lib. 2. c. 61. Ms. 65.

3 Viros & armis & literis claros non solum vocavit ad se Alphonsus, quorum consilio in administrandis rebus uteretur, iisque abunde providit; verum ex curia sua, tanquam ex officina virorum præstantium & copiarum, duces egregios & venerabiles Ecclesiarum antistites emisit. Nam & Calistum tertium, qui modò summi Pontificatûs cathedram regit, ex Alphonsi schola ad Cardinalatûs honorem maximus Pontifex Eugenius accersivit. Æn. Sylv. lib. 2. c. 61. Ms. 66.

4 Si Romanis temporibus natus esset, se constructurum fuisse, dicebat, contra curiam Jovî positorio templum, quò patres conscripti, sententiam dicturi, antequam curiam ingrederentur, odia atque alias animi pestes deponerent. Plerumque etenim fieri, uti regna atque respublicæ privatorum contentionibus atque affectionibus pessundentur. Panorm. lib. 3. c. 2.

H 7

5 Cum

5 Cum vocaret in curiam senatores Fridericus Imperator : Utinam, inquit, duas res consiliarii mei in palatii vestibulo deponerent. Sic enim & ipsi mihi rectè consulerent, & mihi inter consilia dijudicare facillimum esset. Interrogatus, quænam res illæ essent? Simulatio & dissimulatio, respondit. *Æn. Sylv. lib. 3. c. 2.*

2 *Princeps cum judicio audiat consiliarium sententias, & eligat.*
Lips. lib. 4. civ. doct. c. 8.

1 Per absurdum sibi videri, dicebat, Reges ab aliis regi, & Duces ab aliis duci. *Panorm. l. 2. c. 51. Ms. 56.*

2 Cum senex quidam, & naturâ & ætate audacior, ex senatorum numero, Regem argueret, quod contra patrum ferè omnium sententias bellum capesseret, magnificè locutum sunt regum consiliarios aut reges esse, aut regum animos habere oportere; plurima interdum consiliariis & privatis convenire, quæ regem non decerent: pecuniam capere Parmenioni licuisse, Alexandro non licuisse. Ignobilem profectò & obscurum nociturum regi, qui non suo ipsius, sed alieno duceretur arbitrio. *Panorm. lib. 1. c. 22.*

Aut

Aut noscere per sese regem omnia optaverim, qualis Alphonsus est; aut adeò dementem esse; ut catenâ constrictus consiliariorum arbitrio regatur. *Æn. Sylv. lib. 1. cap. 22.*

XXXIX. LEGATI.

Legati ex juris probatissimis sunt diligendi. Contzen lib. 6. Polit. c. 33.

Cum audisset, nonnullos Europæ reges ad Basiliense concilium destinasse, misisseque oratores proceres potentes & progenie illustres, magnâ cum & equorum & comitantium pompâ, delegit ipse è suis, quos ad concilium mitteret, non quidem qui sanguine, sed qui ingenio & sapientiâ præcellerent. Hi fuerunt Ludovicus Pontanus jurisconsultorum eo tempore facilè princeps, & Nicolaus Siculus archiepiscopus Panormitanus, & hic in jure pontificio ætatis suæ nemini secundus. Namque haud decere inquebat, quum de jure humano & divino disceptandum esset, nobilitatem potentiamve jactare, sed doctrinam potius, scientiam atque justitiam. *Panorm. l. 2. c. 11.*

Ludovici Pontani & Nicolai Siculi
bella

bella legatio, & digna tanto principe, nisi discordes animæ & invidiâ laborantes, neque Regi, neque Concilio utiles exstitissent. Fuimus & nos Basileæ, notumque nobis est, non minùs occupatam fuisse Synodum ad reconciliandos inter sese Regis legatos, quàm ut Bohemos ad Ecclesiæ Catholicæ consensum reduceret. *Æn. l. 2. c. 11.*

XL. ATTENTIO.

Zeno Citticus, auditores, dicebat, adedè debere esse attentos ad ea, qua disse-runtur, ut non vacet dare signum approbationis. dum enim applauditur & acclamatur, perit aliquis audiendi fructus. Laërt. lib. 7. c. 1.

Jannotius Mannettus, Florentinorum legatus, ad Regem prolixam, nec minùs elegantem orationem habens, dum pronuntiaret, attentionem patientiamque Regis apprimè miratus est, quòd ne oculos quidem à se, diutissimè discente, minimum deflexisset, nec manus movisset: sed & illud inprimis memoria dignum judicavit, quòd cum à principio statim orationis naso regis musca supersedisset, non priùs quàm peroratum

tum esset, Rex illam abegisset. Ego quoque meis hisce adnotamentis hujusmodi tactum propterea inferendum existimavi, quòd Homerum, legeram, inter proelia Deorum, improbitatem muscæ describere. Pan. l. 1. c. 46.

XL I. Uxor.

Surrexerunt filii ejus (femina videlicet virtute pradita) & beatissimam predicaverunt; vir ejus & laudat eam. Prov. 31. 27.

Acceperat aliquando à Maria, singularis exempli uxore, literas, quas cum semel atque iterum attentissimè perlegisset, mox inquit: Institueram olim nihil de uxore extra thalamum dicere, ne benè dicendo uxorius aut immodestior haberer. At nunc mihi prorsus mutandum consilium, & quidvis homines obloquentur, quocunque in trivio, cuique obvio, sine modo & modestiâ de uxoris virtute atque constantiâ, prædicandum. Pan. l. 2. c. 33.

XL II. BELLUM.

I *Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere, sive pro cognatis & bene-*

beneficis , item sociis injuriâ affectis auxiliari. Arist. Rhet. ad Alex.

1 Orabant, & quidem suppliciter Johannæ Neapolitanorum reginæ oratores Alphonsum, ut destitutæ omni ope reginæ auxilium ferret. Iis refragabantur ferè omnes Regis consiliarii, durum & perquàm anceps fore bellum dictitantes, apud genus hominum armis exercitatum, industriâ atque opibus pollens potensque; & præsertim apud mulierem ingenio mobili & inconstanti. Tum Rex: Accepimus, inquit, Herculem etiam, non rogatum, laborantibus subvenire consueſſe. Nos reginæ, nos feminæ, nos afflictae, nos demum tantopere roganti, si diis placeat, opem ferre dubitabimus? Grave quidem bellum suscepturos nos esse fateor; verùm eò præclarius futurum. Sine labore & periculo nemo adhuc gloriam consecutus est. Pan. l. 1. c. 1.

2 Præstito jam auxilio Johannæ reginæ, ejectisque ejus adversariis è regno, & tandem illâ in pristinam & dignitatem & tranquillitatem Regis operâ atque potentiâ restitutâ, allatum est Henricum fratrem à Johanne ulterioris Hispaniæ rege, dominatu bonisque omnibus

bus spoliatum, in vincula conjectum esse. Rex celeri nuncio permotus, siquidem Henricum, propter ejus animi egregia ornamenta, magis etiam quàm fratrem diligebat, posthabitis Neapolitani regni deliciis, quas sibi multo & sudore & cruore comparasse videbatur, ad liberationem fratris maturavit, liberavit, & in pristinam fortunam restituit. Pan. l. 2. c. 8.

2 *Duobus dissidentibus, præstat quandoque neutri esse addictum. Iohan. Wilh. Newmayer de Neutralit.*

1 Erat Alphonsus in agro Matricensi, nec dum satis delibaverat, utrum Franciscum Sphortiam, an Nicolaum Picininum in amicitiam & societatem admissurus esset; & erat alterum duntaxat propter illorum inter se similitudines admissurus. Cum interim, Matricenses legati Regem adeuntes petierunt, utri ex ipsius voluntate, Nicolaó-ne, an Francisco gratificari deberent? Quibus Regem respondisse, qui aderant, perhibent; Utrosq; tanquam amicos habendos esse, sed ab utrisque tanquam inimicis cavendum. Panorm. lib. 1. c. 7.

2 Pari, ut mihi videtur, prudentiâ
erga

erga Jacobum Picinini filium Alphon-
sus utitur. Cui ut amico subvenit, ab eo
tamen, ut hoste, cavet. *Æn. lib. 1. c. 7.*

3 *Nihil regi indecentius, quàm vi-
ctum provocare. Alphons. apud
Panorm. lib. 2. c. 1.*

1 Cum esset Valentia Alphon-
sus, appulerunt eò loci Caroli regis Franciæ
legati, magnopere eum rogantes, ne
per id tempus, quo rex eorum bello
Britannico implicatus esset, contra se
bellum aliquod suscitaret. Quàm ma-
ximè enim verebatur Carolus, ne Al-
phon- sus captato tempore & occasione
cum armis lacefferet, propterea quòd
jus ac titulum prætenderet in eam par-
tem Galliæ Narbonensis. quam incolæ
Occitanam vocant. Quibus Alphon-
sus ita respondit. Etsi certò scio, plurimas
Narbonensis Galliæ civitates ad Arago-
niæ regnum pertinere, quas Carolus
rex jampridem occupatas detineat; nihi-
lominus hoc tempore, quo illum in-
telligo bello superatum & à Britannis
protritum esse, nequaquam me arma
contra profligatum regem moturum
esse, vobis affirmo: neque eo animo
esse, ut quod majores mei in Caroli
pro-

prosperitate non petierunt, ego in ejus repetam calamitate. Quid regi indecentius, quàm victum provocare? Rursus quid inhumanius, quàm naufragum submergere? Hac securitate legatos remisit, demiratos Alphonsi virtutem & magnanimitatem. Pan. lib. 2. c. 1.

2 Anno ab hinc tertio conspirant inter se quinque & quinquaginta Prutenorum civitates, impiaque contra dominos arma suscipiunt; & contra fratres, qui beatæ Mariæ Teutonici vocantur, universæ rebellant. Tum Casimirus Poloniæ Rex, portionem sui regni Prussiam esse asserens, occasione oblatâ benè gerendæ rei bellum fratribus indicit. Tantò divi Alphonsi, quàm barbari Regis modestia major. Æn. Sylv. lib. 2. c. 1.

4 *Dilectus militum sit cum judicio.*
Lips. Civ. doct. lib. 5. c. 11.

Laudare Italicos Rex consuevit, tum ob alias causas, tum quòd in proelio paucis equitibus instruerent aciem. Siquidem, in acie, quæ Hispano more pluribus constaret equitibus, priores tantum manus conferere, reliquos autem quoniam sese explicare non possent,

sent, inutiles esse, inquiebat. Panorm. lib. 4. cap. 44. Ms. 48.

5 *Volones prastant militibus invitis.*

Contzen. lib. 10. polit. c. 20. §. 1.

Volonum enim major est alacritas, & in solo bello spem habent. Ibidem, & §. 3.

Malus autem miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Seneca epist. 108.

Hoc praterea agendum, ut militum mendicitas prohibeatur, cibum habeant, ceteraque, quibus humana natura doleat negatis. Contzen d. l. c. 54. §. 3.

Alphonfus militibus aut missionem aut vacationem petentibus, licet incommodè, tribuit tamen; nec cuiquam unquam com meatum negasse visus est. Itaque factum, ut cum requiem aut ocium sibi haud denegari animadverterent, illud postea concessum renuerent, aut ultrò denuo redirent ad Regem, quos reversos Rex comiter ac benignè suscipiebat, monebatque, ut sicut sibi bellum quidem, gratia pacis susciperetur; sic illis negotium gratia ocii renuendum non esse. Panorm. Ms. lib. 2. c. 47.

6 Nul-

6 *Nullum bellum est justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè sit & indictum. Cic. 1. offic.*

1 Cùm amœnissimum Picentiæ agrum Surrentinum pervastaret Alphonsus, ingemuisse frequenter visus est, crebroque per caduceatorem opidanos orasse, ne id ipsorum pertinaciâ committerent, quod postea ejus lenitate ac misericordiâ corrigi non posset. Panorm. lib. 1. c. 21.

2 Cum Calaciam obsideret Alphonsus, omnium primus tormenta ænea inusitatę magnitudinis per asperum & acclivem montem præter omnium opinionem muris admovit. Deinde me & Americum Sanseverinum Capacii comitem, virum illustrem, legatos destinans, opidanis renunciare jussit, nisi properè, ac priùs etiam, quàm tormenta laxari inciperent, deditionem fecissent, nullum postea eis relinqui pœnitentiæ locum. Accessimus, persuasimus. Pan. l. 1. cap. 40.

7 *Si status imperii, aut salus provinciarum in discrimine vertatur, debet*

*bebit is, qui summæ rei imperat, in
acie stare. Egesipp. s. c. 30. Nam
— Vbi summus imperator non adest
ad exercitum,
Citius, quod non factum est usus, fit,
quàm quod factum est opus. Plaut.
Amph.*

Expugnata jam civitate Neapolitanâ,
ne ex victoria, ut evenit, inolesceret
exercitus, aut voluptatis resolveretur
illecebris, confestim compositis rebus
recto ad hostes itinere pertendit, quo-
rum dux erat Antonius Caudola, vir
strenuus, atque in armis clarus. cumque
eos in agro Capuano nactus esset, præ-
lio instructos intentosque, & numero
& virtute plurimum exsultantes, adhi-
bito consilio Rex præponit, exquiratque,
an prælium sumendum sit nec ne?
Cumque ex proceribus quidam, susci-
piendum omnino esse, censuissent, si
Rex ipse præsens non esset. Ergo,
quod maximè (inquit) opitulanti dimi-
cantibus solet, imperatoris præsentia
nunc, si diis placet, obfutura est? Sta-
timque ut, Deo bene juvante, prælium
committerent, pronunciavit, mox in-
tellecturi, nihil eorum fortunæ ac glo-
riæ obstaturam præsentiam suam. Fit
ergo

ergo proelium, initio satis ancipiti Marte; demum postea Regis auspiciis atque virtute fuderunt, ceperuntque hostes fermè omnes. In quibus Sphortiani equites propè innumeri capti, centuriones aliquot, ipse Antonius dux item captus. Pan. l. 2. c. 21.

Sequebamur Alphonsum ex hospitali beatæ Mariæ in arcem regiam. Tum fortè vir grandævus vultu habituque venerabilis, Regem salutat. Rex autem ad nos conversus: Hic, inquit, cum obsiderem hanc urbem, ad me venit in castra, utque bono animo essem, jussit. Nam circa calendas Junias, quæ tunc instarent, opido potiturus essem; at non diu post futurum esse anceps proelium ait, in quo dux exercitus caperetur: meque commonuit, ne illi pugnae interesssem. Prima vaticini sermonis pars impleta est, quarto Nonas Junias Neapolim in potestatem redegi. Copiæ nostræ atque Antonii Caudolæ in agrum Capuanum convenerunt; dubitatum est inter nostros, an proelium committi oporteret, quod vitæ nostræ timerent. Quod cum ad me relatum est: Ergo ea res vobis timorem, inquam, incutit, quæ præstare animum atque
I auda-

audaciam debet. Induique me mox
galeâ, & signo pugnæ dato in hostem
me converti, fregi acies, vici, profligavi,
Antonium captivum abduxi. Nec
me vaticinium nec trepidum consilium
amicorum terruit. *Æn. Sylv. lib. 2.
cap. 21.*

8 *Qui verâ virtute fortis est, nec
temerè audet, nec inconsultè timet,
August.*

*Non est vir fortis, cui non crescit ani-
mus in ipsa rerum difficultate.
Bernhard.*

Cùm classis regia, tempestate abrepta, ad insulas Stœchades decurrisset, atque eodem una ex dissipatis triremibus adventare prospectaretur, conscisso velo ac remo decusso, summo cum militum & nautarum discrimine, inclamavit Rex, ut advenienti illicò omnes irent suppetias. Cúmque omnes periculum recusantes inclamarent, melius unam, quàm universas triremes iri perditum, Rex nihilò segnius prætoriam solvit ipsemet, & si nemo subsequeretur, solus opem anxiiis laturus. Quo facto, cæteri postea pudore compulsi, Regem subsequuti, triremem, prope

prope obrutam, non sine omnium periculo reduxerunt incolumem: Tum Rex: nonne sæpius vobis dixeram, periculum sine periculo moveri non posse? Mihi profectò satius visum est unà cum sociis viris fortissimis occumbere, quàm illos videre & pati ante oculos interire. Panorm. lib. 2. c. 18.

9. *Via hostibus, qua fugiant, munienda. Scipio Africanus apud Veget. l. 3. de re milit. c. 21.*

Laudare cum magnopere solebat Alphonsus, quicumque fugientibus hostibus argenteum pontem exstruendum dixisset. Panorm. lib. 4. c. 9.

Nam satis vicit, inquit Sigismundus Imperator, qui hostem fugavit. Æn. Sylv. lib. 4. c. 9.

XLIII. IMPERATOR.

1. *Ego sic existimo in summo imperatore, quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Cic. pro leg. Man.*

Illa verò sunt virtutes imperatoria, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas

tas in conficiendo, consilium in providendo. Ibidem.

1 Renatus dux cum per fecialem ferream chirothecam, id est proelii signum, detulisset Alphonso, alacriter illam accepisse palàm est, moxque fecialem interrogasse, num in singulare certamen, an in universum exercitum se provocaret, quoniam ipse utrumlibet accepisset? Respondente verò feciale; non in singulare, sed in universum certamen à Renato provocari, confestim pugnae locum & tempus jure belli statuisse, accessisse; at nequicquam exspectasse. Panorm. lib. 3. c. 35.

2 Cum Beneventanæ arcis præfectus de arcis deditioe suspensus dubiusque adhuc esset, Alponsum recognitâ statim Beneventum advenisse accepimus, atque in arcem, ubi validum inerat præsidium, transmissio ponte introiisse: obstupefactum verò præfectum Regis audaciâ & arcem & se cum præsidio ultro dedisse. Pan. lib. 3. c. 39.

3 Erat Beneventi Rex, cumque accepisset suos milites ex castello Bovalingo, quò irruperant, expulsos esse, properè accurrisse tradunt, scalasque
suis

fuis manibus apprehensas in fossam opidi devolviffe, equitibus equo defilire jussis & scalas adscendere, quo facto receptum opidum & direptum esse. Panorm. lib. 3. c. 40.

4 Illud quoque in obsidione Massiliæ admirabile exstitit, quod ex insula Pomatia, quæ ad tria fermè millia passuum contra Massiliam sita est, saxa tormentaria mille quingentorum pondoad urbem vel ultra etiam urbem jecerit. Catenam portus amplissimam hoste invito ac renitente perfregit. Pan. lib. 2. cap. 4.

5 Gerborum insulam, quam putamus Lotophagiten antiquitus dictam, ingenti admodum classe Rex obsederat, & ne ulla incolis auxilii spes reliqua esset, pontem, qui continentem conjungebat, defecuit, turribusque muniavit. Quo facto, relinquebatur Alphonso nihil, nisi ut levi momento insulam populatus rediret victor & voti compos. Cum interim ab Oferio Tunicensium rege literæ in hanc ferè sententiam deferuntur. Rex regi salutem. Scimus, ô Alphonse, te majori animo esse, quàm ut Gerborum populatione contentus decedas. Idcirco decrevimus ad te con-

festim accedere, & facie, quod ajunt, ad faciem intueri. Credimus, te interea minimè recessurum, quoniam fugere longè à magnanimo alienum est, vale. Alphonfus his literis acceptis, oblata occasione majoris gloriæ, decrevit contemta insula barbarum expectare. At ille tempori advenit, & quidem cum centum millium fermè armatorum exercitu, castraque ad jactum teli contra pontem & turrin, quam nostri milites tenebant, locavit, tormentis, telis, clamoribus nostros continuò lacerans. Constituerat Alphonfus postero die collatis signis decernere. Cæterum ardor militum, ut plerumque fit, contineri diutius nequivit, ponte transmissio in continentem eruperunt, fuderunt ac profligarunt barbaros, nec procul fuit, quin regem etiam ipsum caperent, qui à propinquis & necessariis quibusdam suis in equum allevatus, inter nostrorum militum manus propemodum apprehensus effugit. Qui verò regem tutati fuerunt, quoniam fugæ locus non fuit, ad unum omnes trucidati sunt ante Regis pedes, prætorium captum, directumque, tormenta ænea ac ferrea omnia confRACTA, signa militaria pleraq; ablata,

ablata, inæstimabilis atque omnis generis præda ex victoria relata. Pan. l. 2. cap. 5.

6 Classis Genuensium, quam demirratam Alphonsi munimenta, abiisse dicemus, * apud Pontiam insulam se continuit, ibique triremium classem, quibus aucta Neapolim rediret, è Genua expectabat. Cumque & advenisse jam, & Neapolim maturare Rex accepisset, suas & ipse triremes obviam misit, reperit, fugavit, cepit, combussit. Pan. lib. 4. c. 25. Ms. 26.

7 Postea quam à Philippo Genuenses desciverunt, in Alphonsum, qui in portu Veneris adhuc esset, nullo præsidio, nisi admodum paucis regis equitibus munitus, quique & annonæ inopia tentaretur, expeditionem eos destinasse, ajunt. Quod cum Rex accepisset, ex arce in opidum confestim descendisse, paratum una cum paucis suis sociis à Genuensium conatu urbem obstinatissimè defendere. Appulsa interim oneraria Regis navi cum comœatu, Genuenses à proposito destitisse. Pan. l. 3. cap. 48.

8 Venabatur Rex in campis Leboriis,

I 4

* *Infra ex lib. 4. c. 24.*

riis, quos nunc Rosarum vocant, quò nuncius adfertur, Ricium regionum peditum ductorem ad hostes defecisse, ac per fraudem occupasse opidum sancti Germani cum monte Cassinati, ac properare vicina omnia invadere. Quo nuncio permotus Rex dixisse fertur: Facto, non consulto, opus esse. Et ut erat venationi potius, quàm armis instructus, contra proditorem iter instituit, cum his tantummodo purpuratis, qui secum venationis gratiâ convenerant, comitibus solum denunciatis, ut qui cum diligeret, properè sequeretur. Opinione celerius ad Ricium pervenit. Cujus vestigia ultro subsequuti regii milites, tantam trepidationem intulere proditori, ut facile intelligeres, illum incepti poenituisse, præventum Regis ac regionum celeritate incredibili. Nec dum enim arcem, quam Janiculam vocant, maximum illius expeditionis aut magis proditionis munimentum expugnaverat. Ac quoniam quidem Rex acceperat, ingens è Romo præsidium Ricio propediem adventurum, quo fretus Ricus in arce adhuc expugnanda perseveraret, nocte in montem peditatum Rex dimittit, admonitum, uti sub nomine

mine Ricii turrim templi, quæ Riciano præsidio tenebatur, pertranseant, atque inde ad Ricium sub ipsum diei ortum descendant. Quo peracto, Ricius auxiliares copias arbitratus, primò lætari, dein cum regios esse ex signis armisque cognosceret, antequam à Rege circumveniretur, fugâ saluti consuluit; reliqui capti, quos pro suâ consuetudine Rex omnes dimisit incolumes. Opidum quarto pòst die, quàm fraude captum à Ricio exstiterat, recuperatum. Panorm. l. 2. c. 25.

9 Cum Genuensium quatuordecim maximarum navium classẽ illicò adventuram nunciaretur Regi, quò duas ejus illas ingentissimas in portu deprehensas, comburerent, continuò exscindi è vicinis montibus rupes, & infesto profundoque mari ad occursum venientium objici procuravit; portum præterea vastissimis lignis, ferreisque catenis circumcludi molem ipsam, altissimo muro, propugnaculisque muniri litora propè innumerabilibus inauditæ magnitudinis tormentis, omnisque generis telis, armisque firmari. Atque hæc tanta quidem celeritate, atque admiratione omnium, ut cum mox Genuensium clas-

sis se conferret, conspectis propius hujusmodi novis insperatisque munimentis, redeundi consilium probaverit, abiveritque. Pan. lib. 4. c. 24. Ms. 25.

10 Cæterum reputanti mihi Alphonsi egregia facta, id supra modum admirabile ac præcipuum videri solet, quonam modo Genuenses, etsi maritimo proelio eum vicerint, tributum quotannis trullam auream reddant. Enimverò tanta fuit auctoritas Alphonsi, ut etiam victus conditiones dixerit, & victores victo metu cesserint, quasi victoriam casu, non virtute se consecutos arbitrati. Pan. l. 4. c. 22. Ms. 23.

11 Austriales, qui accersitis Bohemis in Nova civitate Fridericum Cæsarem ex Italia redeuntem obsederunt, eò demum redacti sunt, ut victores ex victo pacem peterent, atque in eam rem auri sex millia nummum quotannis penderent. Æn. Sylv. lib. 4. c. 23.

12 Erat in Samnio Rex haud procul Boviano, cum subito affertur, hostes adventare ac jam propè esse; quo nuncio capere arma milites jussit, atque hostibus obviam contendere; & jam ad tria millia passuum processerat; instructus armatusque tandem in campis aper-

apertis juxta Trojam in conspectu hostium consedit. Stabant omnes loco edito ad proelium & ipsi parati instructique. Cæterum Rex consultò haud movebat, quò hostes in æquum pelleret ad pugnam. Illi verò numero fidentes, quo sanè præstare videbantur, è colle descendunt, magnoque impetu pugnam incipiunt. Tum Regem exclamasse his auribus audiui (nam præsens aderam) O milites, victoria nostra est, ostendens etiam, à qua acie, à quove loco victoria oriretur. Mox & ipse inter primos concitatissimè in hostem ferebatur. Crederes fortunam præsidem bellorum adesse Regi, qui tam exiguo momento hostes viros fortissimos fuderit, fugaveritq; & in portam usq; civitatis persequutus plurimos ceperit, nonnullos etiam in fossam urbis præcipites egerit. Regionū verò nonnulli hostibus mixti urbem introïere, qui ex porta altera ad Regem incolumes redierunt. In hac victoria permulta quidem obtigere memoratu dignissima. Quidam eques cum intueretur Regem ornatu præter alios elegantiore, & quisnam esset ignoraret, strictoque ense; eum, quis esset, percunctaretur, atque ille, Alphonsus

rex sum, etiam protenso ense respondisset, continuò ad Regis nomen procubuisse dicitur, atque illius potestati reducto gladio sese permisisse. Pan. lib. 2. cap. 24.

13 Quanta fuerit Alphonfi existimatio & gloria, hinc facillè deprehendas, quod nonnunquam etiam ab inimicis, & etiam eisdem viris spectatissimis fuerit laudibus celebratus. Nicolaus Cardinalis Capuensis Regi gravis inimicus, Florentiæ cum esset, & conferret sese per id temporis in regnum Neapolitanum contra Alphonsum præclarissimus copiarum ductor Franciscus Sphortia, & ob hoc aliqui dicerent, jam Alphonso regi non cum Renato negotium fore, ita respondit: Imò mehercle intelliget nunc demum Sphortia cum alio sibi, quàm cum Philippo Maria rem gerendam esse. Hæc cum audita retulisset Regi Malphiatus: Si mei omnes adversarii, inquit rex, ita de me sentiant, ut inimicus hic & sentit & prædicat, bello certè me nequaquam lacerarent; sed quo mihi nihil antiquius est, sinerent pace me atque otio perfrui. Pan. l. 2. cap. 36.

- 2 *Efficax imperatoris elocutio, exercitus strages generose solari ac lenire docta, utilior multo est longo vulnerrariorum Medicorum agmine. Onofander in strateg. c. 1. §. 10.*

In obsidione Neapolitana, cum audisset, Petrum fratrem, quem propter singulares animi & corporis dotes supra fraternum affectum diligebat, saxo tormentario ictum occubuisse, ut viseret, maturavit, exanimem multis piisque cum lacrymis exosculatus, mox in arcem, quam Ovi vocant, tantisper efferendum curavit, donec iusta apparatu regio, quod postea fecit, persolvere liceret. Dein ad exercitum reversus, jam Petri interitu vehementissime consternatum; forti admodum oratione erexit illum ac confirmavit. Rursum ad amicos & Petri socios absentes consolatorias epistolas scripsit: quas qui legit, quem Philosophum non contemnat? uno itaque & eodem tempore piissimi fratris & fortissimi imperatoris munus obisse, satis constat. Pan. lib. 3. cap. 41.

XLIV. VICTORIA.

I *Seriò victoriâ utendum, urgendi-
que successus, & trepidis instandum.*
Contzen polit. l. 10. c. 61.

Sapius incauta nocuit victoria turba.
Claudian. in I. consulat. Honor.

Victores vinum & somnus vincit.
Lucillius ap. Priscian. lib. 5.

*Nunquam exercitum convenit esse
otiosum. Xenoph. Cyrop. lib. 1.*

Cum Rex à victoria illa inclyta Tuni-
censium, aut magis Pœnorum Regis, in
Siciliam se recepisset, non milites quidem
sivit otio torpescere, sed statim, re fru-
mentaria & aquaria reparata, trajecit in
urbem, quam Pœni Aphricam vocant, u-
bi perspecto & urbis & portus situ, ab-
ductis demum aliquot hostium navibus
quæ in portu erant, Siciliam primò, inde
Ænariam petiit, quam insulam incolæ
Isclam appellant. Cæterum in hac A-
phricana expeditione illud relatu di-
gnum mihi visum, quod opidani, Rege
quàm primum cognito, inauditam
gratulationem intra urbem ediderunt,
tubis, tibiisque ac vocibus, affectum
animi significantes. Putarunt nostri ci-
vitatem sese dedituram. At illis mos est
trans-

transeuntem regem, quamvis hostem, applausu, & hujuscemodi gratulatione venerari. Pan. l. 2. c. 6.

2 *Victores, qui verè regio sunt animo, post victoriam, quatenus possunt, vim omnem prohibent. Spigel. ad Æn. Sylv. lib. 2. c. 3.*

Victus ita tractandus, ut benignitate motus nolit rebellare. Savire in captivos non licet. Conzen polit. l. 10. cap. 61. §. 3.

Victoria innocentibus gravis non sit. Tormentis extorquere thesauros, inermes impuberesque cadere, libidinibus omnia fœdare injustum est. Hac majore cura imperator, quàm hostium arma vitabit. Conzen. ibid. §. 5.

Quos savitiâ & crudelitate territos subegeris, ut metuas semper, necesse est; quos tua tibi pietas, misericordiaque conciliarverit, perpetuò fidos invenias. Æn. Sylv. lib. 1. c. 26.

2 Vicario Apuliæ opido vi capto, cum milites à direptione continere nequivisset, Rex veritus, ne furor tandem baccharetur in mulierum pudicitiam, conquistis cum cura in locum extra muros,

muros, procul à militum impetu congregavit servandas, dato negotio Johanni Alcino viro amplissimo, & mihi. servatas simul & illibatas cum præsidio, quo vellent, dimisit, paucis pòst diebus ad lares, unde digressæ erant, prout libitum fuit, tutò redituras. Pan. l. 2. c. 23.

2 Captâ ab rege Massiliâ, cum sibi renunciaretur, matronas ferè omnes ac puellas civitatis, preciosissimis rebus omnifariam onustas, in templum Augustinianorum perfugisse, eas diligentissimè observari curavit. Cumque & illæ vim & contumeliam pertimescentes Regi per internuncium supplicarent, ut traditâ omni earum gazâ, ipsas tantummodo intactas abire permetteret: non solùm intactas Rex, sed ne visas quidem cum universâ ipsarum suppellectile, quantumvis preciosissimâ, ad unam omnes abire permisit. Pan. lib. 2. cap. 3.

3 Africanum superiorem, qui unus virginis pudicitiae consulisset, non satis à Livio laudatum arbitramur, quamvis in eo facto extollendo nihil omisissè videatur. Alphonso Marsilienses omnes virgines ac matronas conservavit intactas. In agro quoque Vultur-

turnano cum opidum vi expugnasset, cui Ripa Malerantiæ nomen est, pari moderatione in feminas usus est. Quas igitur huic Regi laudes attribuemus? Immortales certè. *Æn. Sylv. l. 2. c. 3.*

3 *Gloria certè longè major est servati, quàm cæsi hostis; tantoque triumphus illustrior, quantò plures relictæ sunt, de quibus triumphetur. Æn. Sylv. l. 1. c. 34.*

Confecto jam gravi ac diuturno bello, triumphoque Regi decreto atque parato, jam negasse, ajunt, regulos & nationes, quas vicisset, currum præire debere captivorum sorte, quinimo tanquam socios perquàm honorificè sequi jussisse. Sed & gloriari solitum accepimus, quòd non millibus hostium cæsis, sed rectiùs servatis triumphandi legem imperatoribus primus dedisset. *Pan. lib. 1. c. 34.*

Alia etiam huc facientia vide suprà, ubi de Clementia.

XLV. PAX.

1 *Sapientes pacis causa bellum gerunt, laboremque spe otii sustentant. Salust. orat. 1. ad Cesar.*

Quid

Quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit. Aug. l. 19. de civitate Dei, cap. 12.

Ha tibi erunt artes: pacique imponere morem:

Parcere subiectis, & debellare superbos. Virg.

1 Inter Regis præclara facinora illud mea quidem sententia maximum dinumerabitur, quod universæ Italiæ bello diutissimè attritæ, pacem auctoritate procuraverit, benignitate concesserit, & quod nunquam antè ferè visum, unanimitate firmaverit. Quod proinde ego quid magnum ac prope divinum esse judico, quod pro hac conficienda, & sua maxima commoda, & graves quorundam injurias posthabuisse satis scio. Pan. lib. 4. c. 5.

2 Cum esset jam contra Venetos ac Florentinos, potentissimos Italiæ populos, ab Alphonso haud quidem injuria bellum susceptum, ac propterea Neapoli adversus eos magnâ animi fiduciâ contendisset, Florentini primùm, mox Veneti oratores in agro Pelignensium facti sunt obviam, pacem ab armato perhumiliter postulantes. Quibus Regem

gem prompto ac læto animo dixisse constat, neque aliud ullum pacis datæ premium existimasse, quàm hostes genibus advolutos à se pacem petiisse, & se pacem dedisse. Panorm. lib. 1. c. 28.

3 Cum regionum plerique, gloriæ studio flagrantes, permolestè ferrent, quòd Rex Venetis ac Florentinis pacem dedisset, velut in eo bello magnificentum ac gloriosum aliquod facinus edituri, à quo postea frustrati essent pace comparatâ; Rex id, quod erat suspicatus aliquando, jam nactus dixisse perhibetur: Bono animo estote commilitones. Nam & virtuti vestræ, mihi credite, neque locus, neque honos deerit, & mihi perquàm speciosum fuit petentibus pacem dare. Ita quidem arma capere consuevimus, ut sine cruore, si id modò fieri potest, victoriam adipiscamur. Et quid aliud, pacem tam submissè petentes, confitentur, quàm sese victos esse. Panorm. lib. 1. c. 29.

2 *Pax danda non vendenda. Spig. ad Pan. l. 3. c. 25.*

Alphonfus Ludovico Podio, quò propter ejus singularem diligentiam ac fidem perpetuò ferè oratore in Italia
usus

usus est', renunciandi pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus esset, plusquàm ducenta millia aureorum extorqueri posse, respondit, pacem dare se, non vendere solitum esse. Pan. lib. 3. cap. 25.

XLVI. TRIUMPHUS.

Victoria unius tantum est; labor, omnium. Ergo primum victori esto; victis solatium. Scal. 3. Poët. c. 11.

Salva modestia, Majestas, qua est veneratio aliorum animis insita, potest assumi. Lips. monit. & exempl. pol. libr. 2. c. 16.

Generosior est triumphus, quem coronavit labor. In Monostichis Trochaicis.

Postea-quam Rex cum principibus regni decreverunt conventum celebrare Neapoli, relicto Benevento, primùm Averfam, deinde templum divi Antonii extra muros Neapolis petiere, ibique tantisper remorati sunt, dum, quæ ad triumphî spectaculum pertinerent, pararentur. Constituerant enim cives Neapolitani uno consensu omnes Regem triumphantem excipere, tum ob mirabilem

bilem victoriam, tum ob clementiam Regis inauditam. Igitur sexto & vicesimo Februarii die Rex sese cum principibus ostendit ad portam Carmelitanam, juxta quam non modica murorum pars, à civibus diruta erat, & in honorem victoris introëuntis patefacta. Atque ibi triumphalis currus paratus, sublimis ille & inauratus, in cujus summitate solium erat auro purpurâque adornatum. Currui alligati erant equi albentes quatuor, totidem rotas tracturi, nimis feroces, sericis loris, aureis frenis redimitti. Erat item in curru contra Regis solium, sedes illa periculosa visa flammam emittere inter Regis insignia valdè. Et hoc quidem præcipuum. Circumstant & currum viri patricii viginti, singuli singulas sursum hastas tenentes, quibus desuper alligabatur aureum pallium, nusquam alibi in tali mysterio æquè preciosum auditum, è cujus fastigiis extremisque lincis, Regis & regni & civitatis signa circumpendentia haud invenustè ventilabantur. Sub hoc autem pallio, aut magis umbella, Rex ipse sedens triumphansque, devehendus erat. Sed antequam currum conscenderet, aliquid se dignum dicere aut facere constituit.

stituit. Itaque vocato ad se primum Gerardo Caspare de Aquino: Ego, inquit, adolescens ob merita & servitia patris, te Marchionem Piscariæ constituo, creoque simulque te hortor ad fidem, constantiam, & integritatem ejus, in cujus honorem nos hodie te tam sublimi dignitate honestamus, quam patris beneficio partam, post-hac tuâ propria virtute conserves, & amplifies. Te quoque Nicolae Canteline, ob fidem & observantiam tuam, Ducem facimus urbis Foræ; & te Alphonse Cardona, ob præclara militiæ facinora singularemque virtutem, Rhegii Comitem designamus. His ferè verbis eademque animi gratitudine complures in Comitatus dignitatem sublimavit, Franciscum Pandonum Venafri, Johannem à Sancto Severino Nursii, Franciscum ejusdem cognomenti Maraciæ, ac Americum Capacii Comites fecit. Mox propè innumerabilibus viris, de se benè meritis, equestrem contulit dignitatem, quos hic recensere omittimus, ut ad majora & simul jucundiora properemus. Post hæc in Christi Dei veri ac sapientissimi nomine, cui omnem victoriæ laudem, ac gloriam referri semper ac vehementer

ter voluit, currum ascendit veste sericâ coccineaque demissa, longéque protrahata, pellibus, quas zobellinas vocant, suffulta, capite detecto. Nunquam enim adduci potuit, quanquam hoc sibi à pluribus, & quidem viris magnis suaderetur, ut coronam lauream de consuetudine triumphantium acceptaret. Credo pro singulari animi ejus modestiâ ac religione, Deo potiùs coronam deberi, dijudicans, quàm cuipiam mortali. Sed ubi eminens in curru visus est, tantus & virorum astantium & mulierum, supra tecta domorum spectantium, clamor & plausus exortus est, ut ne tubicinum clangor, nec tibicinum cantus. quanquam essent hi propè innumerabiles, præ clamore exsultantium quicquam omnino exaudiri possent. Erat interim cernere homines, partim præ lætitia illacrymantes, partim præ gaudio ridentes, partim novitate rei obstupelcentes. Progressus verò aliquantulum substitit, donec præcedentium agmen expedirètur. In quibus Florentini omnium primi varios ludos, singulari industria excogitados, grandi affatim impensa constructos, in hunc modum explicaverunt. Præibant statim post tibicines tubicines-

cinesque, adolescentes decem longo ordine in veste diploide serica coccinea-que argento & margaritis, prout inventum aut affectus cujusque dictaverat, exornata, caligis purpureis, seu, vulgo dixerim, scarlateis, multo similiter argento gemmisque distinctis, adequitantes omnes eximiæ pulchritudinis equos, & hos quidem nolis tintinabulisque undique resonantibus adornatos, scasis innixi, ut sellam si quis paululum clune contingeret, veluti probro aliquo erubesceret, dextera levata medium hastile crispabant, pictum & illud ac floribus variis inspersum, quod modò in caput quisque rotabat, modò in ictum protendebat, modò, ut sua cujusque libido erat, attrectabat. Sertum unicuique capiti erat laminis quibusdam aureis distinctum, quod tamen coram Rege transeuntes missis habenis sinistra proni capite deponebant. Sequebatur hos rerum domina fortuna super tabulato quodam, pictis tapetibus instrato, & ea quidem veluti curru alto sublata vehebatur, capillis à fronte protensis, occipite autem calvo, sub cujus pedibus erat ingens aurea pila, & hanc infantulus quidam specie angeli extensis brachiis

chiis sublevabat, sed is angelus sub aquis
 vestigia firmabat, Fortunam modico
 intervallo sequebantur virtutes sex,
 pulcherrimis atque instratis equis de-
 vectæ, habitu perhonesto & antiquo.
 Cæterum ut dignosci possent, suum
 quælibet præ se ferebat insigne. Prima
 omnium Spes coronam; proxima Fides
 calicem; deinde Charitas infantulum
 nudum ostentabat; quarto ordine ince-
 debat Fortitudo, columnam marmore-
 am manibus sustentans; quinta erat
 Temperantia, manibus phialas gerens,
 aqua vinum commiscebat; ultima verò
 Prudentia speculum dexterâ, lævâ ser-
 pentem populo exhibebat; iustitia re-
 stabat, quæ velut regina cæterarum
 equo non contenta, sub ornatissimo
 quodam pulpito eminens vectabatur,
 ornatuque cultuque conspicua, dexterâ
 nudum ensen, lævâ verò trutinam ge-
 stans, quæ velut sequentibus ac colenti-
 bus se imperium esset præbitura. Post
 humeros loco eminentiore solium con-
 stituerat, & hoc quidem auro purpura-
 que decorum, super quod angeli tres,
 quasi cœlo visi descendere, coronam
 quisque suam illi polliceri videbantur,
 qui huiusmodi solium propter iustitiam.

K

merc-

mereretur. Sedem hanc pulcherrimam sequebatur turba equitum maxima in habitu formaque diversarum nationum, principum, procerum. Sed ut sedem sequebantur, ita & currum personati Cæsaris anteibant. Adventabat enim Cæsar eminentissimo atque exornatissimo quodam in pulpito devectus, ad quod gradibus instratis ascendebatur. Stabat enim Cæsar laurea caput devinctus, armatus, paludamento amictus, dexterâ sceptrum præferens, lævâ auream pilam, sub cujus pedibus mundus in formam sphæricam continuò movebatur. Constitit coram Alphonso & in hanc ferè sententiam locutus est rhythmisque maternis: Ego te, præcellentissime regum Alphonse, cohortor, ut septem has virtutes, quas coram te modo transire vidisti, quas perpetuò coluisti, ad ultimum usque tecum serves. Quod si feceris, ut facies, certè scio, quæ te nunc triumphantem populo ostentant, aliquando dignum efficient sede illa imperatoria, quam modo transeuntem intuitus concupisti. Quæ cum, ut vidisti, justitia simul deducebantur, ut intelligeres, sine justitia neminem veram solidamque gloriam assecuturum. Sed
for-

fortunæ, quæ tibi paulo ante crinem aureum porrigere videbatur, nequaquam confidas, fluxa & instabilis est. Ecce & mundus volubilis, & præter virtutem omnia incerta. Hanc igitur, quod facis, religiosissimè colas. Ego Deum optimum maximum rogabo, ut te in prosperitate, sed & Florentiam in libertate conservet. Hæc locutus Cæsar, agmini sese immiscuit, & secuti sunt bino ordine Florentini numero circiter LX tunicis omnes purpureis ac coccineis amicti. Post hos veniebant Hispani hi, quos Latini Celtiberos, vulgo Cathalanos, vocitamus, & hi magna celebritate magnoque spectaculo ludos peragentes. Advexerunt enim equos quosdam, manu factos, veris vivisque similes, lubulonica instratos: hos juvenes equitabant veste ad terram usque demissa; cumque suis pedibus juvenes moverentur, equi ipsi modò cursum arripere, modò in gyrum flecti, modò insequi, modò fugere videbantur. Erat equitibus scutum sinistrâ, Regis insignibus depictum, dexterâ nudus ensis. Contra hos pedites aderant ornatu Persico Syroque succincti, tiaris, acinacibusque formidabiles. Movebantur pri-

mò unà equites, peditesque leniter ad harmoniam, vel ad numeros, chorisantium more, saltabant. Deinde concitato sensim cantu, & ipsi pariter inflammabantur, præliumque miscebant. Atque ita magno militum clamore magnoque astantium risu aliquandiu digladiabantur, donec victores Hispani Barbaros undequaque fugabant, capiebant, proterebant. Post hos vehebatur lignea ingens turris mirificè ornata, cujus adiutur angelus quidam stricto ense custodiebat. Nam super ea veſtabantur virtutes quatuor, Magnanimitas, Constantia, Clementia, Liberalitas. Hæque sedem periculofam, insigne illud regium, præse ferebant, cantantes suam quæque compositis versibus cantionem. Omnium primus angelus ad Regem versus in hunc ferè modum disseruit. Alphonse, rex pacis, ego tibi castellum hoc & superadstantes quatuor inclytas virtutes offero, manuque trado: quas quomodo tute semper veneratus & amplexus es, nunc te triumphantem comitari grantanter volunt. Proxima huic Magnanimitas Regem hortabatur ad animi excellentiam, subinde demonstrans Barbaros illos ab Hispanis victos fugatosque,

que, ut intelligeret Rex, si quando bellum suscepturus esset contra infideles & à Christi nomine abhorrentes, Hispanos præsto esse ac procul dubio victores evasuros. Tertia erat condimentum virtutum omnium Constantia, & ipsa Regem admonebat, ut humanos casus, si quando accidunt, armato, constantique animo perferret, ab honesto gloriosoque proposito nullo infortunio abduceretur. Fortunam siquidem omnem ferendo superari. Clementia deinde vultu præ cæteris exhilarata, velut in Rege, quasi in speculo se ipsa intueretur. Reliquæ, ô rex, inquit, hæ sorores inter mortales tete sanè præstantissimum reddunt. Ego verò te non hominibus, sed diis immortalibus facio æqualem. Illæ quidem vincere, ego te victis parcere, eosdemque tibi conciliare monstravi. Hæc breviter effata conticuit. Liberalitas postremò in vulgum pecuniam prodigebat, significans Regem actorum gloria dumtaxat contentum, reliquâ omnia popularibus elargiturum. His itaque mirum in modum compositis, ac præcedentibus currum, quinque mox aderant viri nobiles coccinea chlamyde induti, ex quolibet theatro

unus. Dividitur enim civitas omnis Neapolitanorum in theatra quinque, quæ illi à confedendo sedilia appellant. Hi quidem præerant currui dirigendo, equisque dextrandis, toti denique præcedentium agmini ordinando, tum scipionibus, quos dextra præferebant, tum autoritate maximè extimescendi. Procedebat jam Alphonsus augusta maiestate venerabilis, ac totius corporis dignitate spectabilis. Et rursus clamor plaudentium ad cælum usque perlatus est. Currum pedibus omnes sequebantur totius regni reguli ac principes ordine quaterni. Omnium primi Ferdinandus Alphonsi triumphatoris filius, præclaræ indolis puer, Iohannes Antonius princeps Tarentinus: atq; hi medii: à quorum dextera Raymundus princeps Salernitanus, à sinistra Abramus Tunicensium Regis legatus. Deinde vir maximus, proque sua fide, & constantia sempiterna memoria dignus Iohannes Antonius Sueffanorum dux, Honoratus Fundorum Dux, Franciscus urbis Romæ præfectus idem & Grajunæ comes, Petrus inclyti Mediolanensium ducis legatus. Tertio ordine Antonius dux sancti Marci, Trajanus dux Melfiæ,
Anto-

Antonius Xantilla Marchio Catroni, Iacobus Comes Nicolai Picinini viri fortissimi filius. Deinde suo quique ordine Duces Comitesque duo de quadraginta, procures & barones circiter centum, equestris ordinis viri propè innumera- biles, præstantium virorum, gravissi- morum Pontificum, literatissimorum hominum infinita etiam multitudo. Di- ceres, post currum frequentiam si cer- neres, non alibi in urbe homines esse posse. Sed ita præterea forum illud am- plissimum, ita palatiorum omnium cul- mina, ita fenestræ, ita januæ, ita porti- cus, ita viæ, ita theatra, ita loca omnia referta erant hominum, tum extero- rum omnium, undique ad spectaculum confluentium, tum civium ipsorum, ut, si post currum nondum videras, ibi nihil hominum superesse contenderes. Iamque Alphonfus per media sui trium- phalis arcus fundamenta, cœpta jam, iter faciebat, monimenta que rerum suarum paululum conspicatus, numula- riorum versus regionem ire perrexit, ubi viarum pavimenta floribus ac fron- dibus sparsa erant. Sed quod nuspiam visum, nuspiam lectum est, fenestræ ipsæ oppositarum domorum coccineis,

multoque auro contextis pannis jangebantur. Subter hoc aureo quasi cœlo Alphonsus magno argentariorum, mercatorumque omnium plausu, novoque etiam ludorum apparatu ac festivitate incredibili prætervectus, ad portæ novæ theatrum protinus pervenit, ubi virorum puellarumq; sanè pulcherrimarum infinita prope multitudo choreifantium & concinentium Regem ipsum incredibili desiderio, infinita lætitia operiebantur. Erant in hoc, sicut in cæteris theatris, parietes ipsi peregrinis auleis, stragulisq; vestiti, mulieres præsertim purpura, auro, mundo, gemmis sumtuosissimè cultæ; in luxu laus erat. Ipsi quidem Regi domino, patri, benefactori cultus, ornatus omnis referebatur, exsolvebatur. Igitur præsentem ipsum, saltatione cantuque dimissis, aut rectius intermissis, puellæ omnes genu flexæ manibus junctis, quasi Deum aliquem, ipsarum pudicitiae custodem, adoraverunt. Itidem viri facere, bonis vitæque servati. Indeque profectus theatrum, qui portus dicitur, offendit pari saltatu, pari exultatione desudans, nec minore exornatu puellarum, numero, venustate, item cultu, munditiaque perpolitum, eadem

eadem gratitudine ac reverentia Regem conservatorem exceperunt. Inde interitum deductus theatrum nobile & antiquum, nulli supra commemoratorum inferius, sive parietum ornamentis, varietateque picturæ, sive puellarum multitudine obstupescas, sive feminarum pulchritudine capiaris, sive cantu demulcearis, sive saltatione forsitan oblecteris. Et hic quidem omnes priissimo ac clementissimo Regi immortales gratias egerunt. Et Montaneam vetustissimum theatrum se contulit, simili cultu, simili gratulatione, simili omni affectione, à viris puellisque susceptus. Inde digressus ad marmoreos matris Ecclesiæ gradus curru descendit, ac cum principum, procerumque subsequen-
tium pompa templum ingressus, Christi Jesu verissimum numen humillimè comprecatus est, illi victoriæ laudem, illi triumphi gloriam, illi virtutum omnium honores ac gratias tribuens referensque. Inde viam repetens pro valvis Ecclesiæ Iohannotum Ritium, de se benè meritum virum, equestri dignitate exornavit, currumque conscendit, cum magna ac prope incredibile puellarum, quæ in theatro Capuano Regem oppre-

K 5

rie

riebantur, lætitia ac plausu. Nusquam alibi aut rerum magnificentia, aut nympharum formositate, aut virorum generositate, aut animorum gratulatione, aut denique personarum, rerumque omnium major apparatus habebatur. Hac itaque Rex prætervectus in arcem tandem Capuanam splendidissimo huic theatro vicinam, & jam advesperascente die perductus est. Pan. sub finem lib.4.

Benevolo Lectori S.

UT majoris cum utilitatis & voluptatis fructu sapientissimi & studiorum ac literarum cultoris Mekanatisque benignissimi Alphonſi Regis Aragonia historiam, à Panormita consignatam, Lectores accuratius cognoscerent, Chytræus eidem, à se Anno MD LXXXV Witeberga edita, præmisit vitæ ipsius Chronologiam, & in historiis, quæ commemorantur, notationes temporum & personarum illustrium Genealogias adjunxit. Hujus viri laborem eundem in finem hic subjicio. Tu, Lector benevole, æqui bonique consule, ac fruiere.

CHRO-

CHRONOLOGIA

Vita & rerum gestarum

ALPHONSI,

Regis Aragoniæ & Nea-
polis, concinnata

à

DAVIDE CHYTRÆO,

Anno 1584.



ALPHONSUS Rex
Aragonensis (seu ut
veteres præposita li-
tera T enunciarunt *Anno*
Taraconensis) & *Christi*

Neapolitanus, Valentiniæ in Hispa-
nia, natus est, imperante Roma-
nis Wenceslao Boëmo, Gallis
Carolo VI, Burgundis Philippo
Audace Caroli VI patruo, Hi-
spanis Castel. Henrico III, Unge-
ris Sigismundo, qui proximè se-
quenti anno 1396. insignem &
primam à Turcis cladem ad Ni-
copolim accepit. *1395.*

Pater Alphonsi fuit FERDI-
NANDUS Justus Aragoniæ Rex:

K 6 avus

avus JOHANNES I. Castellæ
 Rex, qui ducta Eleonora sorore
 Martini postremi Siciliæ regis,
 absque liberis defuncti : filia Pe-
 tri IV. abnepti Petri III. (qui pri-
 mus ex Taraconensibus Siciliæ
 Rex pulsus Gallis anno 1283. fa-
 ctus est) Aragoniæ & Siciliæ Re-
 gna Castellæ conjunxerat, & cur-
 rentis equi lapsu oppressus inter-
 ierat. Huic cum duo filii, Hen-
 ricus & Ferdinandus Alphonsi
 nostri pater, superstites essent : &
 Henricus natu major, in ipso ju-
 ventæ flore præreptus, relicto uni-
 co infantulo Johanne, tutelam
 illius simul & regni curam fratri
 Ferdinando moriens commisisset,
 3406. Ferdinandus sollicitatus à ple-
 risque, ut ulterioris Hispaniæ re-
 gnum sibi vendicaret, convocatis
 de more regni Castiliæ comitiis,
 in conspectu omnium regni pro-
 cerum, & à civitatibus missorum,
 cum omnes, ut se ipsum regem
 declararet, & juramentum fide-
 litatis sibi præstari peteret, exspe-
 ctarent : prodiit in medium, &
 ex edito suggestu infantulum re-
 gio

gio ornatum cultu, atque imposi-
tum humero, altéque sublatum, ut
ab omnibus conspici posset, of-
tentans: En regem, inquit, ô Hi-
spaniæ principes, liberarumque
civitatum oratores. Noster hic
rex est, hunc veneremur, hunc
colamus, huic fidem servemus, ut
mos est Hispanorum gentis erga
reges. Atque his dictis colloca-
tum regio in solio infantulum, i-
pse primum, ut moris est, ad ejus
pedes procumbens, & veneratus
est illum, & in verba ejus juravit,
utque idem cuncti facerent, ex-
emplo suo adegit. Singulari et-
iam prudentia & integritate tute-
lam aliquot annos administravit,
& adulto non minore fide, quàm
Micythus ille, tantopere in histo-
riis celebratus, Anaxilai Rhegini
filiis regnum maturè restituit.

Estque eò admirabilior Ferdī-
nandi integritas & fides, quod ipse
præter Alfonsum, quatuor adhuc
filios, Johannem (qui Alfonso
mortuo in Aragonia successit, &
Ferdinandum Catholicum pro-
creavit, qui Saracenos ex univer-

sa Hispania expulit, & ex filia Johanna nepoti Carolo V. Imper. amplissimorum Hispaniæ regnorum hæreditatem anno 1516. reliquit) Henricum , Galliciæ postea gubernatorem seu Magistrum S. Jacobi; Sanctium Magistrum de Alcantara; Petrum in Neapolis obsidione globo interemtum; & filias duas, Mariam reginam Castellæ, & Eleonoram Eduardo Lusitaniæ regi nuptam, & matrem Eleonoræ, Imperatoris nostri abaviæ habuerit.

Fuit autem tritavus Ferdinandi Justi Alfonso X. Castellæ Rex, Imperator anno Christi 1256 electus, à quo seriem familiæ ad annum 1500 deducam.

Ferdi-

**Ferdinandus III. Rex Legionis & Castella, quò
Mauros in Beticam primus conclusit, cæpit an-
no Christi 1216. regnavit 35.**

**Alphonfus X. cæpit 1252. à quo Tabula Al-
phonfina nomen habent, electus Imperator.**

Sanctius IV. cæpit 1284.

Ferdinandus IV. cæpit 1295.

Alphonfus XI. cæpit 1310. annis 40.

Petrus cæpit 1350. à fratre interfectus.
Henricus II. cæpit 1369.
Johannes I. Rex Castella cæpit 1380.

Henricus III. Rex Castella 1390.
Ferdinand. Iustus Rex Aragonia obiit 1415.

**Iohan- Maria Alphonfus Johannes post
nes II. uxor Magnus rex Alphonsum Rex
cæpit Al- Aragonia & Aragonia
puer phon- Neapolis sa-
1406. si. pientiss. ado-**

**Henri- Elisa-
cus IV. betha
1453. regina
O h. e. Castel-
obiit la O
1475. 1504.**
**Ferdinandus uxor Isa-
bella, Tristani Philippo Archi-
Comitis Ve- duci Austria,
nusini filia, Maximiliani
regnavit 36 Imperat. filio.
annos**

Carolus V. Imp.
Alphonf. à Frideric. O 1558.
**Carolo VIII ab Hispa-
pulsus 1495 nū & Gal- Philippus Rex
Ferdinan- lu pulsus Hispan. Neapo-
dus 1496. 1501. lis, Sicilia.**

- Anno Christi* 1401. Ladislaus Caroli filius, Johanne LJ, quæ Alfonsum postea adoptavit, frater, in regno Neapolitano à Papa Bonif. IX. investitus est.
1406. Henrico III, Castellæ Rege Ferdinandi Justi fratre, Alphonsi patruo, in ipso ætatis flore extincto, Johannes II. Castellæ Rex puer succedit, tutelam regni Ferdinando patruo, justè sanctèque administrante. Quo anno Antonius, Philippi Audacis filius, Johannis Burgundiæ ducis frater, Dux Brabantiae factus est.
1407. Ludoïcus Aureliæ Dux, Caroli VI. regis frater, à Johanne Burgundo, submissis sicariis, Lutetiae trucidatus est.
1411. Ladislaus à PP. excommunicato, Ludoïcus II. Andegavensis Neapolin irrito conatu invadit.
1413. Ladislaus Romam occupat, sed à PP. pulsus, paulo post sine liberis moritur, Johanna II. sorore unica hærede instituta, quæ Alfonsum Aragonem postea adoptavit.

AL-

Alphonfus, mortuo patre Ferdinando, Aragoniæ, Cataloniæ, Valentiæ, Navarræ & Siciliæ regna gubernare cœpit, cum adolescentiæ annos nondum egreffus effet. Itaque Cataloni, in frequentibus regni comitiis, per delectos oratores, Alphonso exponunt, ordinibus regni post longam deliberationem consultissimum & utilissimum patriæ videri, ut Rege adhuc juvene & aliis etiam regnis regendis occupato, septem viri sapientes & iusti in gubernatione Cataloniæ præficerentur, qui Deum timerent, cupiditates sub freno tenerent, nec amore, nec odio, nec muneribus tangerentur. Horum oratione breviter repetita, Alphonfus magnopere consilium illorum laudavit, idque sibi mirum in modum placere ostendit: quod si huiusmodi non septem, inquit, sed unum solummodo virum, qualem oratione vestra descripsistis, mihi dederitis, sponte ipsi, ô amici, sceptrum & regna me traditurum & omnibus
in

in rebus obtemperaturum esse promitto.

1415. Carolus VI, Gallorum Rex ab Angliæ rege Henrico V. ad Azincurtum profligatus, pacem & amicitiam Alphonſi expetit. Quo ipſo anno Concilium Conſtantiæ celebratum, & Johannes Hus die 8. Julii combuſtus eſt.

1419. Johannes Burgundiæ Dux, à Carolo Galliæ Delphino ad colloquium evocatus, proditoriè interficitur.

1420. ALPHONSUS in Sardiniam, ut Genuenſes inde ejiceret, cum claſſe profeſtus eſt, ubi JOHANNÆ II. Regiæ Neapolitanæ legatus Antonius Caraffa opem Alphonſi adverſus Ludovicum III. Andegavenſem, à PP. Martino V. & Francisco Sphortia ſummo equitum magiſtro accerſitum, implorat.

Johanna Alphonſum in filium adoptat, & Calabriæ Ducem ac ſe mortua regni ſucceſſorem designat, & Ovi arcem Neapoli tradit. Alphonſus igitur Raimundum Piritionem Ducem auxilio Johan-

Johannæ cum claſſe, militibus & commeatu inſtructa, Neapolim, à Sfortia obſeſſam, mittit. Ubi literæ adoptionis Alphonſi & ſucceſſionis in regno Neapolitano, die 19. Septemb. conſectæ ſunt.

Sed Ludoïco Andegavenſe obſidionem Neapolis ex Aversa, quam tenebat, nihilominus urgente, denuo legati à Johanna ad Alphonſum, in Corſica Bonifacium obſidentem, miſſi petunt, ut Rex ipſe cum amplioribus copiis matri Johannæ opem ferat.

Erat autem Ludoïcus Andegavenſis, ſobrinus Caroli Delphini Galliæ, quem pater Carolus VI. Rex, ob Johannem Burgundiæ Ducem ſcleratè necatum, hoc ipſo anno exhæredaverat, & urgente Philippo Burgundo, Johannis filio, filiam Catharinam Henrico V. Angliæ Regi petenti in matrimonium tradidit, eumque Franciæ regentem, & ſe mortuo ſucceſſorem, excluſo Delphino filio, conſtituit.

Johan-

Johannes Valesius *Rex Gallia ab Anglia*

1356. captus.

Carolus V. <i>Rex Gallia</i>	Ludoïcus <i>Dux Ande- gavenfis à Iohanna I. adoptatus 1379. ☉ 1384.</i>	Philippus <i>Audax Dux Bur- gundia Johan- nes à Ca- rolo Del- phino pro- ditorie ca- sus ☉ 1419. Philippus Bonus. Carolus Burgun- dus. Maria Philippus Carolus V. Imp.</i>
Caro- lus VI. cæpit 1381. Caro- lus Del- phinus & post- ea Rex 1423.	Ludoï- cus Dux <i>Aurelia à Iohan- ne Bur- gundo casus 1407. Ludoïcus II. cum Ca- rolo & La- dislao de re- gno Neapo- litano con- tendit. ☉. 1417.</i>	
	Ludoïcus III. Renatus cum à Iohanna II. Alphonsa post adoptatus & ite- obitum Ludoïci rum repudiatus III. sex annos 1419. tandem de regno Neapo- rursus contra litano bellum Alphonsum gessit, tandem evocatur 1423. 1442. Neapoli ☉. Conseritia cessit. 1423.	

1421. Alphonsus cum illustri nobili-
tatis Aragoniæ & Siciliæ 1500
Comitatu ex Sicilia Neapolin tra-
jicit. Ludoïcum ab obsidione
urbis

urbis depellit, & induciis factis, ex regno discedere cogit. Inde opida, quæ tenuerat Ludoicus, Averfam, Azerras, Amalphin, Massæos, Surrentum, in amœnissimo illo Campaniæ paradiso sita, recepit. Ubi ingenuisse sæpe pulcherrimorum agrorum vastatione & per caduceatorem orasse opidanos dicitur, ne ipsorum pertinacia committerent, quod postea ejus lenitate & misericordia corrigi non posset.

Recuperatis opidis, & pacato ^{1422.} regno, pestilentia Neapoli grassante, Alphonsus cum Johanna Regina & Caraciolo regni gubernatore, aliisque proceribus Cajetam cum classe contendit. Ubi in navi quendam ex præcipuis Ducibus Alphonso dixisse ferunt: Nunc, ô Rex, si vis, ut velle debes, potes universum Neapolitanum regnum absque adversario, & discrimine ullo, extra omnem dubitationem, obtinere: Si quos tecum ipse ducis, eos omnes in Siciliam captivos dimiseris, ac ipse regnes. Cui Rex, si qui-

si quidem id nesciret, si eo proposito ex Hispania discessisse, ut veram & absolutam gloriam; quantum in se esset, ad suos referret, quam non perfidiâ & dolo, sed virtute & constantiâ sese posse assequi, Dei optimi maximi benignitate consideret.

Cajetam cum pervenisset, præcipui regni procures, & in his Franciscus Sphortia, Francisci illius, qui Philippo Maria mortuo Mediolanense imperium adeptus est, pater; qui Ludoïcum antea secuti erant, tot fortibus Alphonfi factis & prosperis fortunæ successibus permoti, ad Johannæ & Alphonfi imperium, erroris sui veniam postulantes, redierunt. Quibus omnibus perbenignè veniam Alphonfus, Clementiæ & mansuetudinis laudem præcipuè expetens, concessit.

Ea res primùm Johannem, ægerrimè ferentem, adeò facilè hostibus suis ignosci, offendit. Juraverant & opida, paullò ante recepta, in verba Alphonfi. Et Caraciolus, qui antea solus omnia

omnia Reginae nomine in toto regno administraverat, Alphonſi autoritate ſuam obſcurari ferre non poterat. His igitur invidiæ & æmulationis facibus accenſus, virulentas ſuſpiciones & odium erga Alphonſum Johannæ inſtillat, ac tandem perſuadet, niſi maturè ſibi ab Alphonſi inſidiis caveat & Cajeta diſcedat, eam ab Alphonſo in Hiſpaniam miſſum & totum regnum ipſi ereptum iri. Diſſimulata igitur cauſa, relicto Cajetæ Alphonſo, Puteolos ſubitò profecta eſt, ac inde Neapolim.

Interea complures, tum arcibus præfecti, tum præſides terrarum ac principes, adeuntes regem, polliciti ſunt penè univerſum Neapolitanum regnum, Regina inſcia, ſeſe dedituros. Quibus Rex, habere ſe quidem gratias, reſpondit, ſed ſe pluris famam & honorem ſuum, quam regnum quamlibet magnum æſtimare. Suum quidem conſilium & fuiſſe & eſſe, regnum non dolo & injuriâ, ſed legitimo jure, cum-

cumque Deo & Johannæ matri placuisset, possidere. Quod si Reginæ in se voluntas immutata videatur, id mollitudini & fragilitati sexus assignandum esse. Contra se & virum & regem esse meminisse oportere. Statim verò terrestri itinere reginam sequitur. Cumque amicis colloquutionibus sanare offensiones conatus nihil proficeret, tandem Caraciolum facem totius incendii, in quo omnium reginæ consiliorum summam esse sciebat, retinere in arce regia, & reginam, absente illo, in arce Capuana adire instituit. Sed præmonita Johanna, Alphonsum, qui medium jam pontem transierat, dejecta repente cataracta, exclusit, & mox Franciscum Sfortiam & alios Andegavensium partium procures ad opem sibi ferendam, & pellendos Neapoli Hispanos impellit.

1423. Hic profligatis Alphonsi copiis urbem Neapolim occupat, Alphonso in arce regia oblesso. Cum autem nova classis cum recenti milite ex Hispaniis appu-
lisset,

lisset, Alphonfus urbem ex arce & portu oppugnatam recipit. Post ei Ænariæ insulæ occupandæ spes affertur, quam Ischiam vocant, eamque vi, excepta arce, cepit. Cumque postridie Alphonfus clementia in victos uti statuisset, captivos omnes liberari, iisque domos restitui iussit. Quare cognita, qui in arcem confugerant, salutem pacti, deditionem fecerunt. Recepta arce, eaque præsidio firmata, Neapolim rediit, & ex tam muniti naturali situ opidi expugnatione ingens nomen & gloriam adeptus est.

Hæc dum ab eo geruntur, ex 1424.
Hispania allatum est Henricum fratrem, quem unicè diligebat, à Iohanne Castiliæ Rege, impulsu Alvari Lunæ, qui Alphonsi commendatione apud Johannem creverat, dominatu Galliciæ & bonis omnibus spoliatum, & in vincula conjectum esse. Facta igitur cum Iohanna regina pace, posthabitis regni Neapolitani deliciis ad liberandum fratrem in Hispanias trajicit, Neapoli Petro fratre &

L Cajc-

Cajetæ Antonio Luna præfektis.

In itinere Massiliam, quæ ad Andegavenſis provinciam pertinebat, ex Stœchadibus insulis oppugnatam cepit & diruit. Urbe capta, pro more suo matronalis decoris haud oblitus, earum feminarum, quæ in templa confugerant, injuriæ parci jussit, easque spectata integritate viris, ne à militibus probro afficerentur, servandas tradidit. Quæ cum ad eum, pro conservata pudicitia, magnam auri atque gemmarum vim, quas secum detulerant, misissent, ultrò libertatem, & ea omnia sese iis dare dixit, potestatemque fecit, uti ad suos mitterent, qui eas ex urbe deducerent: iis, ut omnes, quas ab incendio conservaverant, exportarent, permisit. Cum autem in reliqua præda etiam D. Ludoici Episcopi Tolosani, ex Galliæ regum familia nati, corpus in Hispanias aveheret, ac in mari, asperissima tempestate jactaretur: cum sacerdotes & nautæ, ac milites una omnes clamarent, D. Ludoici corpus tempestatis hujus cau-

causam esse. ideoque Massiliam remitti debere; ipse in proposito perstitit, & aut sibi una cum S. Ludoico percundum esse, aut iis longè augustiorem ac Diis acceptiorem civitatem se sanctissimi corporis reliquias conditurum esse. Cum igitur Valentiam incolumis cum exercitu pervenisset, D. Ludoici corpus, clarissimæ victoriæ unicam mercedem, sed æternæ suæ gloriæ monumentum summa cum veneratione & gratulatione civium collocavit.

Deliberanti autem de ratione belli Hispanici & liberando fratre, Rogerius Pallantiæ Comes, Alphonso seorsim indicat, in animo sibi esse, Iohannem Castellæ regem, ipsius hostem, contempto omni periculo confodere: foreque id sibi, si modo annuat Rex, factu per facile. Cui Rex, se non solum pro Castellæ atque Hispaniæ regno, sed ne pro totius quidem orbis imperio adipiscendo tam crudele atque detestabile facinus permissurum. Postea tamen ostentato magis, quam illato bel-

lo, aliorum regum, ac inprimis Mariæ sororis, quæ Johanni nupta erat, intercessione fratrem Henricum è custodia liberavit, & in pristinam dignitatem & dominatum Galliciar, ejecto & in ordinem redacto Alvaro Luna, restituit.

Interea Neapoli Iohanna Regina, inconstans & levis femina, Ludoicum Andegavensem, qui Romæ substiterat, per Pontificem sibi reconciliat, & adjunctis societate Genuensibus, & duce Mediolani, primum Cajetam, deinde Neapolim, prodente urbem Iacobo Caudola urbis præfecto, occupat. Petrus Regis frater, etsi auxilia classe ab Alphonso missa fuerant; tamen desperata urbis recuperatione, arcibus tantum præsidio munitis, in Siciliam navigat.

1425. Alphonsus, facto cum Florentinis & Thoma Fregosio, Genuensi olim duce, federe, sinum Ligusticum classe infestavit.

1426. Pax inter Alphonsum, & Philippum Mariam hac conditione fa-

facta, ut Bonifacium & Calvum, Corsicæ urbes, Alphonso traderentur. Sed adversante populo Genuense, Portum Veneris & Lunæ, in finibus Liguriæ, earum loco Alphonfus accepit.

Pax cum Genuensibus à Philippo facta. 1428.

Bellum inter Alphonsum Aragoniæ, & Iohannem II, Castiliæ regem patruelem rursus exarsit, quod interventu Mariæ sororis Iohannis, Alphonfi conjugis, sedatum est. 1429.

Denuo bella inter vicinos reges Hispaniæ patrueles recruderunt. Quibus tandem compositis & pacatis, Alphonfus cum suspicionem excutiendæ ex regno Iohannæ matris adoptivæ, si vivente ea regnum invaderet, vitare non posset: expeditionem in Africam suscipit, ac Gerbim insulam, quæ Lothophagites antiquis fuit, obsidet. Cumque populari eam & occupare cœpisset, à Bopherio Tuncti rege, qui cum ingentibus copiis eò venerat, prælium ipsi per literas denunciatur. Quibus

acceptis Alphonfus oblata occasione majoris gloriæ, contempta insula Barbarum expectare constituit, Quo ingenti prælio profligato, ac fere capto, tormenta omnia & signa militaria & prædam ex castris ingentem deportavit. Postea Aphricam urbem vicinam, quæ veteribus Aphrodisium vel certe vicina illi Leptis parva fuit, quamque nostris temporibus Imperatoris Caroli V. exercitus anno 1550 expugnatam Hispanis subjecit: tentans, navibus aliquot ex portu abductis in Siciliam rediit. Ubi hybernis actis, de Neapolitano regno, in quo præter arces Neapolis & Ænaræ, nihil ferè in potestate sua habebat, & de reconcilianda sibi Iohanna matre adoptiva denuo deliberat.

Cum autem simulatè Iohannam omnia agere Alphonfus cerneret, in Hispanias redire constituit. Sed omnibus ad navigationem paratis, cum venti adversi tres continuos menses classem in portu Drepani retinerent: ecce de
 Cara-

Caraciolo infensissimo hoste suo,
à conjuratis trucidato, & Ludoi-
co æmulo, febris ad Cosentiam ^{1432.}
extincto, & paulo post de Iohan- ^{1433.}
næ Reginæ obitu nuncii afferun-
tur. Fato igitur se in Italiam reti-
neri existimans, statim fidos ho-
mines ad explorandas procerum
voluntates in regnum Neapolita-
num emittit, ac Tarentinum Du-
cem & Sueffanum, cujus opera
Capuam primùm in potestatem
suam redegit, federe sibi junxit.

Sequenti anno Cajetam, regni ^{1434.}
Neapolitani claustrum firmissi-
mum, quæ valido præsidio Genu-
ensium & Andegavensium muni-
ta erat, terra marique obsidet.
Tandem fame gravissimè obse-
sos urgente, coacti sunt opida-
ni, quod in extremis rebus fieri
solet, pueros, puellas & ætatem
omnem bello inutilem è civitate
ejicere. Cumque eos minimè re-
cipiendos, sed necandos, interfi-
ciendosque, omnes Duces affirma-
rent, præclarè Rex respondit: Se
malle potius Cajeta & Cajetanis
potiri nunquam, quàm tam foedè

tamque crudeliter vincere. Arma se quidem habere referens, non adversus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos. Veniaque iis data, castra adeundi, & cibo ac potu refectis, abeundi, quò vellent, potestatem fecit. Durante postea obsidione, cum quidam regi diceret: si tu hos non admisisses, Cajetani paucis post diebus se dedissent: At ego, Rex respondit, pluris facio eorum vitas, quam Cajetas centum.

Memorable profectò & verè heroicum clementiæ specimen. Quod Cajetanorum civium, quorum conjuges ac liberi servati erant, animos ita Alphonso conciliavit, ut paullò post urbem, quàm 40000 hominum exercitu capere nequiverat, sponte ei traderent. In eadem oppugnatione, etsi levius fortasse alicui videbitur, tamen dignum memoratu duxi, quod cum aliquando, ad tormenta ænea portentosæ illius amplitudinis saxa defecissent, & ex vicina Ciceronis villa quidam

com-

commodissimè haberi posse moneret, Rex aliunde ea conquiri jussit. Malle enim se tormenta, & machinas nulli usui esse, quàm vel saxa illius viri, qui tot homines ab injuriis & capitis etiam periculo vindicasset, injuriâ afficere.

Cum autem multos menses obsidionem Cajetani sustinuis-
sent, tandem Genuensium classem subsidio illis venire Alphonsus comperit. Quare ad virtutem oratione sua accensis Ducum ac militum animis, jam antea gloriæ cupiditate ardentibus, exercitum naves conscendere & Genuensi classî, priusquam ad urbem appelleret, occurrere jussit. Cumque de Imperatore classi præficiendo inter Iohannem & Henricum Regis fratres æmulatio esset, Alphonsus ne alterutrum offenderet ipse classem conscendit, pluris fratrum concordiam faciens, quam periculum, quod castris ipso absente imminebat. Commisso autem prælio navali, cum Genuensium prætoria, flexo in gy-

L 5 rum

rum cursu , puppim Alphonſi clavo deterſo oppugnaret , & ad latera aliæ circumfuſæ harpagonibus injectis, militem Alphonſi terreſtribus præliis magis quam navalibus aſſuetum trucidarent: effuſis ad genua proceribus, ac ut fortunæ cederet precantibus, Philippo, quanquam abſenti, dedere ſe dixit, atque ita cum duobus fratribus & Duce Tarentino ac Sueſſano & aliis proceribus Neapol. qui partes ipſius ſecuti erant , & flore nobilitatis Siculæ & Aragonicæ captus eſt , anno Chriſti 1435.

In qua captivitate præcipuè magnitudo animi ipſius & virtus herôica effulſit. Cum enim victo jam regi conditiones afferrentur, non prius illas recipere voluit, quàm ſociorum vitam cum hoſtibus pactus eſſet : nullam omnino vitæ aut ſalutis ſuæ mentionem faciens , præclarè ſecum agi exiſtimans, ſi propria morte reliqui vel à morte ſervarentur , vel à captivitate redimerentur. Abductus in claſſe victrice ad Ænariam, juſſus

jussus est ab Amyrali Genuensi, ut Insulam Genuensibus dedi statim curaret; cui Rex: Quæ poteris à libero impetrare, inquit, eodem modo à captivo petas. Jam nec mandabo tale aliquid meis; nec si mandarem, illi captivi Regis mandata facerent. Scias igitur è regnis meis ne saxum quidem hac ratione obtineri posse.

Postea Regem non Genuam, sed Saonam, & inde ad Philippum Mediolanum Amyralius perduxit, in quo itinere adeò liberè auctoritatem majestatemque perpetuò servavit suam, ut interdum victoribus ipsis non victus, sed victor potius appareret. Ideoque haud temere nonnullos dixisse ferunt: In omni fortuna Alphonsum & videri & existimari meritò Regem.

Philippus cum non ut hostem captivum, sed hospitem & amicum amantissimè excepit, ac de amicitia & veteri federe renovando se cum eo acturum esse ostendit. Quod ubi Alphonsus animadvertisset, ex Philippo quæ-

ri iussit, quas nam pro liberatione leges dicturus esset, nullas omnino se recusaturum esse, præterquam si ab expeditione Neapolitana desistere juberet. Malle enim se quidem in carcere vitam degere, quàm ab hujusmodi incepto dimoveri, tum ut constantiâ in re semel suscepta servaret, tum vel maximè ne suarum partium Regulos, qui secum captivi essent, deseruisse videretur. Paucis igitur interjectis diebus fedus hisce legibus sancitum est, Alphonso, fratribus Regibus, & cæteris captivis, quos Mediolani, quos Genuæ in potestate haberent, sine precio dimissis, societas co jure staret, ut Philippus Alphonsum, Alphonfus Philippum bello ac pace adjuvaret, atque ut amicos eosdem atque inimicos uterque haberet. Interea Isabella, Renati Andegavensis in Burgundia capti conjunx, Neapoli appellit.

Alphonfus verò dimissus à Philippo Rex, Ducem Tarentinum rectâ in Siciliam ad Petrum fratrem oblegat, ut classem, quâ ex
Ligu-

Liguria abduceretur, & commeatum ad portum Veneris, quò se receperat Alphonsus, adveheret. Navigante autem Petro coorta tempestas disjecit classem, ita ut onerariæ à cæteris avulsæ tertio die ad portum appellerent, & Genuenses, qui à Principe suo Philippo, ob dimissos sine lytris captivos & impetratam insuper classem, qua in regnum Neapolitanum reducerentur, defecerant, & portum Veneris, quod solum in Liguria opidum tenebat Alphonsus, oppugnare instituerunt, à proposito deterrent. Reliquæ triremes ad Pontiam insulam Cajetæ vicinam convenerunt. Unde, cum capto Alphonso nullum ab ipso periculum amplius imminere existimatum esset, præsidii pars maxima dimissa erat. Quare Cajetani cives, quorum liberi ac 1436 conjuges in obsidione superioris anni à militibus præsidiariis ejecti, ab Alphonso hoste conservati erant, exemplo illo clementiæ ac misericordiæ admirando adducti, de Cajeta Alphonso tradendâ cum

Petro agunt. His igitur ducibus usus, noctu cum classe ad urbem appellit & occupat Petrus, à quo cum & triremes & nuncium de capta Cajeta Alphonsus post paucos dies accepisset, statim Cajetam petiit, & redintegrato bello, quod funditus captivitate illius exstinctum videbatur, summa cum fortitudinis, constantiæ, magnanimitatis & clementiæ laude sequenti sexennio totum feliciter confecit.

1435. Accersiverat Andegavenſis factio Renatum Andegavenſem, Ludoici fratrem, & Pontifex Eugenius IV. Alphonsum palam oppugnabat, miſſo Duce Iohanne Viteſco Patriarcha Aquileienſi, qui cum rebus ſuis diffideret, inducias cum Alphonſo pepigerat. Poſtea Iacobo Cadolæ junctus, nihi tale Alphonſo ſuſpicante, durantibus induciis, die natali Chriſti, Alphonſum in templo ſacris vacantem ex improviſo cum duobus exercitibus invadit. Quibus tamen, non niſi peracto ſacro, Alphonsus occurrit, eosque feliciter proſligavit. In

In Scaphati obsidione, quod opidum in Sarni ripa situm est, cum centuriones ac milites præsidarii, non solum tela & saxa, verum etiam obscenissima & contumeliosissima verba in Regem & Petrum Regis fratrem & Ducem Tarentinum jecissent, ideoque capto opido, omnes in furcam tollendos esse cæteri Duces contenderent: Alphonsus contra omnes dimisit, Fratres ac Ducibus hac oratiuncula placatis: In hujusmodi injuriis, non quid dicatur, sed à quo dicatur, imprimis animadvertendum esse. Spurci vivant spurcè, loquantur spurcè, ut libet; se nequaquam ob aliorum maledicta, à sua natura & moderatione recessurum esse. Adhæc victoriam fortunæ esse munus, clementiam sui ipsius; & malle se ex clementia, quam ex victoria laudem adipisci. Denique expertum loqui, nihil magis adversariorum animos flectere & conciliare solitum esse, quam placabilitatis & mansuetudinis nomen.

Offerentibus se ad Renati Andega-

degavenſium Ducis necem minatus eſt , ſi tale aliquid de cætero cogitare auderent, ſe in eos tanquam parricidas animadverſurum : addens, ſe virtute, non inſidiis, cum hoſte de regno contendere.

Arpario opido vi capto , in ejus poteſtatem præfectus urbis Marinus Boſſa inſenſiſſimus Alphonſi hoſtis pervenit, in cujus necem cum univerſus ferè exercitus juraſſet : unus Alphonſus magis naturæ & conſuetudinis ſuæ, quàm quid hoſtis inſenſiſſimus de ſe meritus eſſet, rationem habens , ipſum à militum furore atque injuria defendit, & bonis omnibus reſtitutis, inſuper ad ſenatoriam dignitatem evexit.

1439. Secuta eſt obſidio Neapolitana, Renato in Pelignis comorante; quæ tamen fratre Regis Petro , ictu tormenti repente exſtincto, ſtatim triceſimo die ſoluta eſt. Alphonſus fratris exanimis pectus multis piisque cum lacrymis exoſculatus: Frater, inquit, laborum & gloriæ noſtræ particeps,

ceps , æternum vale ! Ac mox in arcem, quam Ovi vocant, tantisper efferendum curavit, donec justo apparatu regio, quod postea fecit, parentare liceret. Deinde ad exercitum reversus, interitu Petri vehementissimè consternatum, fortissimi imperatoris munere functus, fortissima oratione erexit illum ac confirmavit. Inde in Picentinos & Lucanos progressus, Salernum & Pæstum, antiquam Sirenum Academiae sedem, & vicinos Brutios sibi subjecit. Interea Renatus arcem regiam, quæ in Alphonfi potestate hætenus manserat, oppugnat, & assentiente Alphonso, qui arcem amittere, quam Renato exhausto, petitas ab intercessoribus legatis Gallorum regis inducias concedere maluit, deditioe accepit.

Postea Antonio Cadola in fidem recepto, Averfam cepit : quo 1440.
rursum ad hostes deficiente, sequi cum in Pelignos statuit, sed febris Capuæ retentus est, ubi se magis Q. Curtii ab Antonio Panormita allati lectione, quàm Medicorum phar-

Pharmacis curatum esse , sæpe postea jocatus est. Inter hæc spe sibi allata Capenorum Antonii Cadolæ opidum occupari posse, præmissis belli ducibus, ipse cum copiis subsecutus , Vulturum amnem, quò brevius iter faceret, trajicit. Quumque Rex in adversa ripa staret, quo-ad omnes copiarum flumen trajecissent, quidam ex equitibus, cum ex equo lapsus in conspectu ejus de vita periclitaretur, indigna hominis morte permotus, suos primum hortatus est, uti morienti opem ferrent, cumque ejusdem periculi metu nemo accurreret, crudeles ac timidos appellans, continuò subditis equo calcaribus, flumen ingreditur. Quod cum ii qui aderant, equites intuerentur, nonnulli ob verecundiam secuti, semianimem ex amni sustulerunt. Qui ad ignem subito delatus ac resectus, pedibusque suspensus, ut, quam ebiberat aquam, rejectaret, ut primùm se collegit, Aragoniam clamitans, primam vocem emisit. Isque à Re-

ge

ge poſtea perliberaliter eſt habitus.

Per id fermè temporis Grati-
as Cabenellus, Hiſpanus eques,
quem ad montem Fuſculum Al-
phonſus cum parte equitatus reli-
querat, cum Petro Suacquaro de
arce Beneventana occupanda egit.
Erat autem ejus arcis præfectus
vitricus Petri. Qui cum ad dediti-
onem arcis vix cogi poſſet, deque
ea ſuſpenſus dubiusque adhuc ef-
ſet: Alphonſum re cognita, ſta-
tim Beneventum veniſſe, atque in
arcem, ubi validum inerat præſi-
dium, tranſmiſſo ponte introiſſe;
obſtupefactum verò arcis præfe-
ctum Regis audacia & arcem & ſe
ultrò cum præſidio dediſſe tradi-
tur. Poſthæc ad Calatiam Rex ex-
ercitum ducit, ubi aliquot ipſius
dicta ac facta memorabilia, ad no-
ſtri etiam ordinis ſcholæſtici ho-
norem aliqua ex parte pertinen-
tia, Panormitanus recitat, quæ hoc
tempore volens relinquo. Calatia
dedita, in Apuliam progreſſus, ad
Trojam prælium felix commiſit,
cujus ſupra memini. Inde Vicarum
mo-

movit, quod vi captum, cum diriperetur, veritus Rex, ne in feminarum pudicitiam militum furor tandem baccharetur, Iohanni Alcino viro amplissimo negotium dedit, ut in templum congregatas, à militum injuria defenderet.

1442. Secuta est postrema Neapolis obsidio, qua durante, Puteolos, Massam, & alia opida recepit. Cumque à Ludoico Podio Roma certior factus esset, Ricium regionum peditum ductorem, instinctu Eugenii Pontificis, ad hostes opidis aliquot occupatis statim transiturum, ideoque operæ precium fore, illum re adhuc integra capere, ac custodire: malle se, inquit, à suis prodi, damnoque affici, quam de illis unquam minus confisum videri. Desciscat Ricus, ut lubet; se nequaquam de beneficiis suis tale aliquid, nisi comperto scelere, esse crediturum. Progreditur tamen nihilominus in campos Leborios, ubi venanti nuncius de S. Germani opido regni clauastro & monte Casinati, à Ri-

à Ricio occupato , adfertur. Quo commotus Rex , cum facto , non consulto opus esse dixisset , summa celeritate ad opidum , antequam arx Ianicula occuparetur , contendit , ac proditore fugato , quarto post die , quàm fraude captum à Ricio fuerat , recuperavit.

Inde ad Neapolis obsidionem rediit , quam ductis ab Anello quodam fabro cæmentario , per aquæductum subterraneum militibus in urbem , qui portam vicinam occuparant , tandem belli 22. anno , qui fuit à nato Christo 1442 , expugnavit , Renato in arcem concluso , quam tamen paulo post ad Eugenium Pontificem Florentiam concedens Renatus dedit. Post cujus discessum adversus reliquos hostes Antonium Cadolam & Iohannem Sfortiam Francisci fratrem profectus est. Inter quos cum diu ancipiti Marte pugnatum esset , tandem Alphonsus hostes in fugam vertit , & Antonium inter primos dimicantem cepit. Cui ad se perducto , exitiali
& qua-

& quasi hæreditario Regis inimico, etsi omnes morte mulctandum censerent, tamen veniam erroris postulanti, non modo ignoravit, verum etiam opida, quæ à patre accepta hæreditario jure possidebat, reliquit. Nec Jacobi patris capitales inimicitias, nec Antonii filii pervicaciam æstimare visus est. Cumque indicaretur Regi, penes Antonium Cadolam exstare plurimas Epistolas, in caput & statum ejus conscriptas; è re igitur Regis esse, illas exhibitum & lectum iri, quo saluti illius prospici posset, simul & in proditores animadverti: Rex literas proferri jussit, minimèque lectas igne comburi. Milites præterea captivos missos fecit; nonnullos, quamvis hostes, muneribus ob egregiam virtutem ornavit. Qua benignitate & clementia ipsorum etiam hostium benevolentiam sibi conciliavit, ac toto regno deinceps usque ad vitæ finem in summa pace & tranquillitate positus est. Confecto igitur bello Neapolitano, urbem triumphali pom-

pompa 26. Febr. ingressus est, 1443. & Eugenio Pontifice reconciliato, hortatu ac precibus Eugenii, & Philippi Mariæ, Franciscum Sfortiam ex Piceno expulit, & Pontifici Ecclesiæque Romanæ recuperatam provinciam restituit. Cumque unam & alteram urbem ex receptis Pontifex ultro regi gratitudinis causa offerret: ingenti animo illas repudiavit, dicens, se non quæstus, sed Dei & Ecclesiæ gratia expeditionem illam suscepisse.

